CARMINA
SELECTA
EX ILLUSTRIORIBUS
POETIS
SAECULI DECIMIQUINTI ET DECIMISEXTI

Studiosis adolescentibus citra morum labem ad perlegendum proposita.

PARS SECUNDA.



VERONAE MDCCXXXII.

Ex Typographia Petri Antonii Berni Bibliopolae.

SUPERIORUM PERMISSU.

ELENCHUS

POETARUM,


Quorum opera in hac secunda parte continentur.

Ba-

JO.



JO. ANTONII VULPAE CARMINA DE BEMBO.



CANTABAM memini pulcer tibi carmen Alexi,
Quum nova sese oculis obtullit ara meis.
Obstupui, cecidere animi, stete- runtque capilli,
Sanguis abit, quid agam (tunc ego) quove feror?
Protinus ecce vocor: rursusque, iterumque vocatus
Adspicio: ternas vidimus ire deas.
Altera tura manu gestabat, & altera pilum,
Tegmine clara oleae tertia frondis erat.
Prima est Thusca mihi Romana est altera Pallas
Cognita; quae comes his Attica virgo fuit.
Indicium Thuscae sacri pia turis acerra:
Martia Romanae pila dedere mihi:
Atticae oliviferi viridis frons baccaque rami,

Perquam Cecropio nomina parta solo;
Dum sequor, in strato fulsit mihi purpura lecto,
Quem subjere novem, turba diserta, Deae.
Hunc circum aurato resonat dum pectine Phoebus
Prima pio querulos edidit ore modos.
Qualem fatali transfixo vertice penna
Deficiensque suo funere cantat olor.
Caepit. Quae fueram cunctis praelata puellis
Dum tu vivus eras hei mihi, nunc jaceo,
Quae sermone feras, mulcebam, & carmine blando
Dum tu vivus eras, hei mihi, nunc taceo.
Fleximus, heu cantu Venerem, vix vulnera sensi
Dum tu vivus eras: hei mihi nunc pereo.
Ah mea quis misero miscet Deus otia fletu?
Proque jocis tristes has mihi dat lacrimas?
At dum plura cupit, siccis vox faucibus haesit,
Addidit his quaestus, virgo Latina suos.
Qualibus ambustum proles Clymeneïa fratrem
Sole satum gelidi flebat ad amnis aquam.
Talibus illa modis lacrimisque cadentibus orsa est
Maesta os, scissa comas, lumina fixa solo.
Stabam ego dum stares, & te regnante manebam:
Labere, sum tecum lapsa: cadis, cecidi.
Eheu quo cecinit quove hic est ore loquutus?
Illa mihi quis nunc aut canit aut loquitur?
Exciderat mihi priscus honos: tu reddere priscum.
Hei mihi, tu moreris, priscus honor moritur.
Eheu quod tecum calamis modulata placebam,
Eheu quod modulor te sine nec placeo.
Plura dolor vetuit. sed non minus aemula tandem
Graja suo querulum fudit ab ore melos.
Qualem questa sui casus memor Atica vocem
Vere novo Geticis dat Philomela jugis.

Talis erat Grajae, tristisque & blanda vicissim
Vox, linguae interitum dum flet & illa suae.
Quae simul ac questae, pronae incubuere jacenti:
Osculaque exangui dat sua quaeque seni.
Et simul: ara tibi Romanae esto urna Minervae,
Haec tibi Palladio convenit urna viro.
Nec mora, sacrati ventum est ad limina templi:
Et data funereis turea dona focis.
Et dixere vale, & requiem optavere perennem.
Et tumulo carmen composuere suum.
Conditur hoc tumulo doctorum fama virorum,
Musarum nuper vita, modo interitus.
Assensere novem, Phoebus pater annuit illis:
Fregit & auratam, qua cecinere, fidem.
Intonuere poli: Tiberi vagus Adria fluctus
Miscuit, o mirum, fecit & ars idem.
Fecit idem Alphaeus, qua Graja prorsus ab ore
Lucidus in Siculas mergitur Arnus aquas.
Intonuit rursus laevum clamoribus aether
Insonuit patula est urna reperta senis.
Raptaque in aethereas auras fugit umbra: cadaver
Conditur: ut licuit visere, Bembus erat.

DE MARCO ANTONIO FLAMINIO, QUI PUTABATUR MORTUUS, AD FRANCISCUM TAURELLUM.

TAURELLE optime mi patrone & idem
Olim in urbe sodalium meorum
Prime. Flaminius tuus meusque,
Quem cuncti modo mortuum putantes
Luxerunt juvenes bonum ut parentem,

Luxeruntque senes bonum ut sodalem,
Vivit, atque valet Deo favente.
Quem sancte coluit, pieque semper.
Sic est. Flaminium meum tuumque
Viventem alloquor, audio loquentem
Illa nectare dulciora verba,
Dicentemque gravedini salutem,
Vitae dicere quam antea parabat.
Verum ne auxilio medentum & arte,
Aut labore putes eum retentum
In vita jam animus solutus arcto
Nexu corporis incolebat astra
Nil mortale videns, nihil caducum.
Sed nobis fuit ille restitutus
Votis, & precibus mei Priuli.
Nanque afferre solent Deo supremo
Vim vota, atque hominum preces piorum.

AD HIERONYMUM DANDINUM

EPISCOPUM FOROCORNELIENSEM.

QUOD te interpellem nugis, dum publica tractat
Munera, & ingenti rerum molimine anhelas,
Des veniam vel te culpes Dandine necesse est.
Qui mihi dum comis nimium, nimiumque benignus
Das faciles aditus, epulis, & divite mensa
Excipis, hos a me inverecundos elicis ausus.
Contra alii quidam, bifida qui tempora mitra
Cingunt, congressus fugiunt, turbamque precantem
Colloquiis arcent, centeno poste ministris
Et totidem appositis. Quod si, cum maxima rerum
Postulat hoc moles, precibus vel munere nonam

Irrumpas, decimae truderis limine portae.
Tu facile ingenium natura, mitius arte
Efficis. hinc casu adverso tristaris amici
Non secus atque tuo, curis & frangeris iisdem.
Hoc tibi me cogit caussas exponere, quare
Sortiti dominum clarum natalibus, annis,
Fortunis, animo illustrem, virtutis amicum,
Post sextum mensem Roma discedimus hoc tu
Forte malum ducis? nos contra si vacat, audi.
Me pater haud vilis, susceptum conjuge honesta,
Primum natorum sex, vix fantem, ac pede firmo
Tentantem gressus, semotam ablegat in oram,
Scilicet ut possem post prima elementa Latinum,
Et Grajum pelagus certa sulcare carina.
Eventus poterat voto arridere, quod essem
Ingenio haud prorsus stupido: cum quatuor annos
Atque decem nato rapuit libitina parentem.
Inde domum rediens cesso, lustrumque supine
Traduco. post, me patruus patria expulit, atque
Ticinum misit, tabulisque incumbere bis sex
Jussit, scita decem queis sunt inscripta virorum.
Hic ego sub claris posui rudimenta magistris
Militiae, implevique novem stipendia: post quae
E meritus mittor donatus cum rude lauro.
Post haec in patria, turba comitante clientum,
Dum causas agito, & defendo, jura popello
Tetrica responso, non parva pecunia, verum
(Quod majus duco) mihi gratia quaeritur ingens.
Hic legor, & populi, & sancti ex mente senatus,
Qui lustrum condam, qui scribam civica jura,
Judicio & praesim. post nostra missus ab urbe
Legatus, faciles lassavi Caesaris aures.
Quid quaeris, proprias tumido dum proiicis ore

Laudes? hac poteram fortuna vivere laetus,
Ni mihi, ceu ſtipulis ignes injecta, fuiſſet
Ambitio, nobis dum proponuntur honores,
Atque aurum,dum tu occurris,pariterque Maphaeus,
Atque alii pauci, qui orbis tractatis habenas,
Nec merita expendo, curas, tantoſque labores
Inſomnes quae vos cogunt traducere noctes,
Captus opum tanto ſplendore & lumine claras,
Ceu Satyrus quondam, flammas exurere ſenſi.
Si mihi non ſtabat Pariis ſuſtulta columnis
Regia, nec ſenſus fallentia marmora: ſaltem
Culta domus fuerat, tenuis ſed munda ſupellex,
Qua exciperem inſignes homines ex claſſe ſecunda,
Communis queis noſtra fuit ſemper domus, & res,
Et cenſus, parvus certe, at ſine crimine partus.
Ire ſalutatum nos atria nulla potentum
Cogebant, multa cum limina noſtra ſalute
Ferverent: fuit & comitum lectiſſima turba,
Quos nobis mores, ſtudium, & par junxerat aetas.
His ego gaudebam: domini cum nomine Romam
Evocor: haud credo: ſed te vult me vocat ille?
Sic eſt, at ludis: quid enim ſtupidi, atque puſilli
Me ingenii capiat tantus rex? eſt ita: me, inquam,
Tertia deinde venit, nuto: ſed epiſtola quarta
Expugnat: quis enim multis magniſque repugnet
Promiſſiſque? mitto quae ſors ſperare juberet.
Ex illo & patria, & comites ſordeſcere nobis
Coepere, & faſtu ſenſim turgeſcere pulmo.
Hinc tumidis ducens ingentes follibus auras,
Omnia magna ſono, reges, diademata, mitras.
Ante oculos ſtat Roma mihi noctesque dieſque,
Haeret Roma oculis: inſomnes cernimus arcem,
Roſtra,Theatra, Forum, Saturni templa,Suburram.
Flen-

Flentibus hinc sociis tandem discedimus : armos
Argento gravida nobis lassante crumena.
Omnia dum propero, retinent me: in limine primum
Offendo : valvisque lacinia vestis adhaeret:
Claudicat alter equus soleis offensus : ab alta
Ilice parra canit laeva : occurrit lupus, anguis
Rumpit iter : pluviae, altisque erumpentia ripis
Flumina nos tardant: properavimus attamen, & diis
Iratis magnae perveni ad moenia Romae.
Hic dominus, quod erat curarum turbine magno
Oppressus, sero me admittit ad oscula dextrae,
Excipit & paucis verbis, & fronte serena,
Quae nutantem animum firmarent : inde suorum
Scribimur in numero. Sed bina cubilia primum
Conducenda mihi, stabulum post, deinde culina
Quae quater undenas nos cogunt pendere drachmas
In mense : at dominus promisit : ferre necesse est,
(Unus ait) multo quod regia plena cliente est.
Si dispensator jubet, hospitiique magister,
Chironomo, scurrae, productori, aut citharoedo
Adsurgas : quid enim? pereat ne sportula, quippe
Tres nobis numerat nummos mercede diurna
Cũ pueris, & equo: hinc quaerẽda caro, hinc olus, hinc
Hinc oleum, scombri parvae, vilesque faselli: (sal,
Odit enim lepores, turdos, conchilia, mullos
Mensa mihi, & pueris communis: sportula quamvis
Sit tenuis, nobis nunquam datur integra : avaro
A quaestore aliquid semper corraditur : ultra
In primo quod nulla mihi sit reddita mense
Praepositus stabulo domini negat hordea, foenum,
Et stramen: negat ille mihi? negat improbus: ardet
Intus bile jecur : descendo ad jurgia : tandem
Post quartum mensem vilem metitur avenam ;

Et putidum culmum, pudeat quem ſternere, & illa,
Quae in vaçuas paleas, & purgamenta recedat,
Si cribro excutias : non aſſignantur equilis
Aut locus, aut ſtatio. poſt tres cellarius horas
Dimittit puerum tandem redit ille lagaena
Dimidia. verum ſic diluta, ut mihi Tibris
Fluctuet in ſtomacho, cum credo hauſiſſe Falernum.
Hic ego, tot paream dominis? tot peſſima liber
Facta feram? ſemper me impune poſte repellat
Janitor implumis; roſea facie, cute levi,
Cirrataque coma? ſi non diſtringimus enſes
Fulmineos, liceat genuinum frangere more
Lucilî, generet rabies ne preſſa venenum.
Mitto quanta tuli, patiarque incommoda, mane
Summo proſilio ſtratis : & currimus uſque
In Vaticanum pluviis, ſeu ſolibus aether
Saeviat hic ſtantes aliquot conſumimus horas,
Ut dominum videam, quem claudunt oſtia centum,
Atque aditus centum : populis ut praebeat aures,
Egreditur tandem, quem nos veneramur aperto
Et capite, & genibus flexis, dum quiſque videndum
Praeponit ſeſe, impellor, turbaeque procella
Jactor, poſtremus ne ſim, ſed viribus, auſu,
Et cubito aperienda via eſt. Si forte vehatur
Aut mulo, aut rheda, raptim ſequor, ilia equorum
Tundens, poſt redeo perfuſus pallia caeno.
Poſtea cum dominus diſcumbit: ſtans ego contra
Illi me oppono, ut ſi tollat lumina menſa,
Me videat, luſtroque oculis, ſi forte beatum
Me obtutu faciat : ſi me ſervire parato
Utatur, ſi ſponte aliquid mandet, jubeatve.
Sed fruſtra ante oculos verſamur: namque ſecundus,
Tertius, & quartus mihi menſis labitur, atque
Poſt

Post quintum sextus, cum nec mandata, nec ullum
Accipio a domino verbum: comis tamen ille
Omnibus arridere, joco perstringere, & ultro
Compellare: tamen solus dimittor, ut ille,
Quem vel relligio, aut morbus congressibus arcet.
Hinc nos sollicitant curae: indignatio flammas
Excitat, & rabies fundit nigrum ore venenum.
Ergo ego, qui ut scribam, aut responsem civica jura
Evocor hic tantum spectator Laocoonti
Servio marmoreo? praeceptis Pythagoreis
Vincior? Harpocratis factus sum ad templa sacerdos?
Debebas illum tu compellare: egone illi,
Quem tantae exagitant curae, quem tanta fatigat
Congeries rerum, me ausim praebere molestum?
Excivit, veni, sto coram, me videt omni
Luce vel invitus: tu, Saulius, atque Maphaeus,
Et Jovius profertis me: respondet at ille
Comiter, est cordi: memini, cum tempus erit, tunc
Accersam. at cesso: tentem Dandine quid ultra?
Quid faciam? patere. hic nobis plus deperit uno
Mense animi cultus, quam quod profecimus anno
Evolat e loculis aes: curis urimur ultra
Quod mihi relligio est domini consumere fruges
Segniter, & lecto, atque epulis traducere luces.
Rusticus Aufidius, conducti cultor agelli,
Assuetus glebas curvo versare tridente,
Et segetes sarrire, boves & jungere, multo
Cum frangi interdum sentiret membra labore,
O fortunatum (dicebat) cui datur urbem
Incolere, & duri vitare incommoda ruris:
Sors favit: vocat hunc quidam heros magnus in urbẽ:
Accurrit turgens spe, ac ambitione laborans:
Deliciis urbis capitur: thermas, & compita lustrat,
Atque

Atque forum. Sed dum dominus, nihil imperat illi,
Oscitat, & vacuus cessat, luditque canitque:
Multa dies tamen & superest: tunc otia damnans
Urbis, conqueritur tardos procedere soles,
Hinc se se incusans, quod vitam ferre priorem
Nescisset, dominum convenit, me mihi, dicens,
Me mihi redde precor, vita ne frangar inerti,
Et menti & nervis obducant otia callum:
Ne si forte tibi me invisum fecerit aetas,
Atque tuis domibus migrandum sit mihi: sero
Praeteriisse dies doleam: quod rustica nobis
Ars pereat, nequeantque assuescere membra labori.
Sic mihi, ne ingenium, assiduo quod vomere fessum
Vix ferat exiguas fruges, si cesset opella,
Ad steriles redeat stipulas, secedere praestat.
Num dominum culpas? me accuso, quod nimis audax
Huic tanto servire viro me posse putavi:
Fortunamque meam damno, quae nesciat uti
Re oblata. dominum culpem? quis mitior illo,
Munificus ve magis? cum fulgeat omnibus aeque
Sol, si durescit coenum, si cera liquescit,
Haec potius solis radios accuset, an ipsam,
Natura quae non valeat durescere? comis
Omnibus est dominus. negat hoc quis? sed mihi (nostrum
Peccatum fateor) nimis est durus, gravis, asper.
Has Dandine putas caussas quod linquimus urbis
Moenia, & armato stimulamus calce caballum?
Falleris ut mittam quod cura domestica dudum
Me vocat, & nisi crescat, saltem ne pereat res,
Urget me major ratio: nam cura salutis,
Et vitae nobis praeponitur ambitioni,
Atque opibus, licet illa aliis sit vilior alga.
Est mihi cara, ideo leti eripienda periclis,

Sive

Sive cibi vitio, seu caeli, sive falerni
Eveniat, seu forte animis illustribus aër
Hic solitus, nutrire negat viles, & uti nos,
Degeneres: ego semper torqueor, atque laboro
Et stomacho, & capite: hoc semper vertigine circum
Volvitur: at gravis hic hesternae pondere coenae
Assiduo turget: jam septima praeterit hora,
Quod marcescit adhuc: saltamus, currimus, at nil
Proficimus. Si coenandum sit fercula sordent
Languenti stomacho: haud obsonia lauta palato
Respondent: digito in guttur, ceu pharmaca, coenã
Farcio: vivendum quoniam est: & pondere pondus
Trudimus hinc macies artus, hinc occupat ora
Pallor: tabescunt sensus, & lumina foeda
Caligant: crudosque cibos tussi excreo anhela.
Sic ego qui vaccas avias, proavosque elephantos
Possem concoquere, ossa nunc, medio & gravor ovo.
Contemti augentur morbi, praesensque minantur
Exitium, si nos paulum praecidere caussas
Differimus lenti, quas non lenire valerent
Pharmaca, vel succi, medicinaeve auctor Apollo.
Vivere, commoditas magna est, summũq; bonũ ergo
Sedandae ingentes curae, quibus enecor: ipsi
Quod sim despectus domino fugienda Quirini
Infamis regio, & caelum grave: nostra petenda
Est patria: haec quod nos dederit vitalibus auris
Aut alet, aut saltem producet funera. Roma
Discedo, mihi quod vitae, quod cura salutis
Haud spernenda fuit, caussam hanc adducimus unã.
Quam si forte probas tu, Saulius, atque Maphaeus
Quos veneror tanquam nostri tria numina saecli,
Non ego curarim quid latret cetera turba.
Haec Dandine tibi Venusina scripta camoena
Car-

Carmina dictabant Senis, dum sedulus hospes
Curat equos, nobisque dapes apponit: ut istic
Siquis me accuset, domino purgare valeres.
Plura loquuturum me pagina deserit: hospes
Sollicitat: comites frigescere fercula clamant:
Ergo vale, inque tui me scribe volumine census.

HONORATI FASITELLI CARMINA.

AD SCIPIONEM CAPYCIUM.

QUIS mihi nunc ruri non suadeat esse Capyci,
Et vetet agresti munera ferre Lari?
In patrios migravit agros, caeloque Caserta
Devocat aeternos ad sua rura Deos:
Et facit, ut magnum Campania terra Tryphonem
In parva jactet se quoque habere casa.
O ego quid cesso? populique urbesque valete,
Et quaecunque levis compita vulgus amat:
Vulgus, in extremis quaesita Themistita terris
Cui placet, incertis & Calicuta viis.
Nescio quae Calicuta novo sub sole reposta,
Aeternum Hispanae munus avaritiae.
Nempe parum fuerat, nostris ditescere regnis,
Et versare avida fasque nefasque manu:
Intactos nisi classe nova penetrasset ad Indos,
Intentata rudis Tethyos ad spatia.
Scilicet a curvo miles digressus aratro;

Prae-

Praeceps trans terras, & maria alta ruit.
Iamque super solis cursusque aestusque perennes
Audet in ignotum tendere vela salum.
Sic alius nobis alio micat orbe Bootes:
Mersaque sub Stygio gurgite terra patet.
Ille quidem victor terris advertere proram,
Et nova post tanto gestit adire sola.
Ignari rerum populi, per littora fusi,
Mirantur liquidas currere monstra vias.
Nunc alacres properant, trepida nunc mente resistunt:
Attollunt caelo lumina cum manibus.
Dumque nova passim tacti dulcedine torpent,
Et multa ancipites speque metuque fremunt,
Ecce tubae subitus magnum ferit aethera clangor:
Et crebra resonant tympana pulsa manu.
Illi Nereidas divina voce canentes,
Et sanctos rentur Doridos ire choros.
Inter se miris obvertunt nutibus ora:
Et plausum magnis vocibus ingeminant.
Ast, ubi fulmineo caelum tremit omne fragore:
Et late fumo stat graveolente fretum;
Tum vero ingenti perculsi corda pavore,
Bacchari Eumenidas per vada salsa putant.
Nec flammas jam ferre novas, ictusque minaces
Permixtumque gravi sulfur odore queunt.
Pars fugit, & silvis se se procul abdit opacis:
Agmine pars denso regia jussa facit.
Regem magna virum, proceraque colla duorum
Sublimem junctis sustulerant manibus.
Hi currus illis, hae sunt in honore quadrigae:
Non aliis prisco more vehuntur equis.
Sed quibus ille paret contra contendere telis?
Aurum habet: hoc plena porrigit usque manu.

Quid

Quid facis ah demens? gemmas, aurumque reconde:
Muneribus perdis teque, tuosque tuis.
At felix quondam patriis Epicurus in hortis,
Dum sibi & ipse serit, quod sibi & ipse metit,
Contentus modico vitam traduxit agello:
Nec labes sanctum polluit ulla senem.
Hei mihi, quid dixi? caelestes parcite fasso:
Contemsit magnos impius ille Deos.
Securus leti, Stygiae securus & undae,
Risit tergemini ferrea vincla canis.
Non ego, qui soleam sacra menstrua (vos mihi testes)
Excidit: & linguae, non mea culpa fuit.
Sanctum ego judicibus potuissem dicere vobis,
Flagraret tanta ni scelus invidia.
Infelix Epicure, nec hoc mihi nomine care,
Numina tu ne ausus temnere magna Deum?
Tu ne ausus Grajas convellere sacra per urbes,
Et dulci mentes fasce levare pias?
Stulte luis poenas: quam nunc Acheronte sub imo
Velles accensis tura dedisse focis?
I miser, Eumenidum pendentes fronte colubros,
I nunc, & manes, & Phlegethonta nega:
Persephonem, Ditemque nega. te Tartarus horrens
Compescat: miris excrucietque modis.
Sed mea quae pietas, unum hoc ignoscite Divi,
Tuncque illum sanctum quis neget esse, rogem.
Quis tunc oro, neget? primis cui semper ab annis,
Ut sine cura esset, maxima cura fuit
Non vasti tumidis pelagi se credidit undis:
Flecteret ut dubiam per freta caeca ratem.
Non litui strepitus arrectis auribus hausit:
Nec stupuit media vellera tincta Tyro.
Denique despexit curas: quaecunque sequaces

Pro-

Protinus a triſti pectore nos abigunt.
Quin rerum cauſſas tantum libare latentes
  Conſtituit primi liminis ante fores.
Ne curis animum torqueret inanibus aegrum,
  Cerneret & medio ſomnia vana die.
Huic igitur meritam dubitem concedere laudem?
  Et titulum nudi nominis invideam?
Quin ſenis exemplo jam ſtat quoque, pace Deorum,
  Hoc reliquum vitae degere, quod ſupereſt.
Urbis delicias in caelum ferte ſodales:
  Urbs aliis placeat, ſordida rura mihi.
Hic juvet inſanos animi componere motus,
  Et legere in tuto lintea laxa ſinu,
Armaque pro templo non magnae figere villae,
  Soſpitis & cymbae texta ſoluta meae:
Tum longis dulces ſomnis adjungere ſomnos,
  Et ſaepe ipſius non meminiſſe mei.
Dii facite, immites diſcerpant cetera venti:
  Haec pars e votis ſit rata ſola meis.
Ut ſit, qui poſſit de me quoque dicere, felix,
  Urbe procul ſolis qui ſibi vivit agris:
Vivit: & aeterno Chriſti dum flagrat amore,
  Farre pius modico ruſtica ſacra facit.

AD DEOS.

O INTER veterem, & novam Theatem
u ime Dii ſtatuiſtis immerentem,
Quid vobis voluiſtis? an poëtam
Veſtrum perdere per jocum, atque ludum?
Nam quid feci ego, quidve ſum loquutus,
Cur vos tam male me, male atque acerbe
Haberetis, ineptiuſque multo,

Quam Rheae deceat genus beatum?
Esto: enim mala nostra vos juvabant.
Una non satis, & super Charybdis
Erat? quorsum opus addidisse Scillam?
Sed freto bona ficus in Sicano
Duci Dulichio tulit salutem.
Nobis in Latio salus Latinis
Est a montibus expetenda summis:
Ut Phoebus cithara increpans sonora
Ter per somnia visus admonere.
Quare Tibridis ad fluenta Montes,
Qui gratissima regna Diis tenetis,
Caelo vertice proximi, & decorum
Incincti triplici caput tiara;
Summos vos adeo, rogoque supplex,
Ut monstro me ab utroque liberetis.
In sinu liceat latere vestro,
Et sacra recreare me sub umbra
Non fici Siculae, sed Innocentis
Floridae, peramabilisque olivae:
A cujus mihi ramulis in orbem
Plexis, Palladiam petam coronam,
Et colam omnia vestra dicta, facta.
Sic post saecula longa & usque & usque
Vobis non modo collium superbas
Septem assurgere gratulemur arces,
Sed magnum Oromedonta, & ipsum Olympum.

IN ASPASIUM MALUM POETAM.

AD me tam stupidi, & mali poëtae
Aspasii maledicta numquid hilum
Pertinent, rogo? noti uterque nostrum

Bonis

Bonis omnibus, & malis ad unum,
Ego, atque ille ſumus. ſuis uterque.
Solum me miſeret dicacitatis,
Qua fertur ſtolidus, ruitque praeceps,
Caecus nequitia, in meos jambos.

IN PAULLUM JOVIUM.

NAE debent Jovio viri elegantes,
Bonis artibus his, & his politi.
Nae debent Jovio elegantiarum
Parenti, artibus omnibus polito,
Quantum vix animus capeſſat ullus,
Nec vivi modo, qui vident, amantque
Urbani ſenis & ſalem, & lepores,
Sed quos lumine adempto avarus Orcus
Quis ſcit quo cohibet loco miſellos?
Nam facit Jovius ſuis tabellis,
Excultis lepido ſuo labore,
Leti funera non timere vivos,
Vitam vivere mortuos perennem.

AD ANTONIUM PERENOTUM
CARDINALEM.

CUM quiſquam maris aeſtibus
Deprenſus, truculenti, & rabie Noti,
Jactatus lacera trabe,
Certus naufragii, vota Deis facit,
Implerint ſubito leves
A puppi ſi animae lintea, & aeſtibus
Ereptus, rabie & Noti,

Terras prospiciat, quas petit, & prope
Accedat magis, ac magis
Cara ad littora, caram ad requiem, & lares,
Non jam naufragium timens,
Attollit mediis laetus in aethera
Ex undis duplices manus,
Praesentesque supinus celebrat Deos:
Quos sperat fore perpetes.
Purgato rapidis caelo Aquilonibus,
Dum terras cupidus premat.
Sarcit carbasa mox, & reficit ratem
Diris fluctibus erutam:
Tranquillo det hians ne pelago prius,
Quam portum subeat, latus,
Et, qui nunc fuerat praesidio Dei
Servatus, sua inertia
Magno cum opprobrio turpiter occidat.
Is, postquam incolumes tulit
Tandem in littus amicum madidus pedes,
Pictis vestibus, & trabe
Votivam superis pariete de sacro
Suspendit tabulam, memor
Quam vim suspiciat numinis, & colat.
Cesset si auxilium Dei,
Nil nostrum ingenium, nil valeant manus,
Sitque incognita caelitum
Virtus, si nihil aequo ab Jove defluat.

AD NICOLAUM ARDINGHELLUM CARDINALEM.

EST quidem hoc aliquid, fatemur omnes,
Non magnum modo in urbe te, sed inter
Patres posse videre purpuratos.
Est quidem hoc aliquid, fatemur omnes
Ardinghelle: fatemur, & frequentes;
Hinc, atque hinc tibi gratulari avemus.
Sed quod sit satis, id negamus omnes,
Quantum, quod pote plurimum negari.
At, cum maximum in orbe viderimus,
Insignem triplici aurea tiara,
Quae virtus tua, nostraque omnium est spes,
Tum vero id poterit satis videri.

AD F. CORNELIUM.

UNUS qui reliquus mihi patronus
Corneli fueras, vetusque amicus:
Qui excelso usque animo esse me jubebas
Firma in spe, eximiaque maximaque
Ut jam istos facerem pili beatos.
Nunc diversus abire, nunc videris
Idem non animo esse, non loquela.
Et quod me cruciat magis, magisque
Nullam ob caussam aliam, nisi ob facetam
Unam, ridiculamque, futilemque
Quod Farnesius ad jocum libenter
Refert omnia, qui solet jocari
Tecum, & cui fuerit bono rogare.

Atque hic tu, mihi per jocum, atque lusum
Verbis illius (o novos lepores)
Quid non dicere, vel tacere pergis?
Commentum placet elegans, salisque
Plenum, sed mihi crede, vultu, ocellis,
Pallore, atque tremore, denique ipsa
Nae tu proderis oscitatione.
Tun me? tun mihi? qui tibi, sed ad rem.
Amabo, mihi desine ista posthac
Plane frigida. Sin, vide, palam, clam
Profecto ad Jovium elegantiarum
Appellabo parentem. habet paratas
Is chartas, calamosque sive Etruscos
Malis, sive etiam Latiniores:
Quales nunc Venetos tuos videmus;
Quibus cum historiam politiorem
Conscribillet ab orbe condito omnem,
Illustrans, celebransque & hos, & illos:
Jure amicitiae petemus, ut te
In hos inserat, & tuos lepores.

IN GIBERTUM SUMMA INGENII INDOLE PUERUM.

GIBERTI ingenium bonas per artes
Excultum celebramus urbe tota,
Dignum Socratica institutione.
Hinc est gloria vera comparanda;
Hinc laus ipsa perennior petenda.
Hoc Gibertus amat puer disertus,
Contempta juvenum procacitate,

DE

DE ANNIA VILLA.

ANNII nemoris ſacra
  Citria, & liquido ſacer
Fons fluens pede per nemus,
Quodque colle habet in ſacro
  Mollis acta ſacellum:
Voſque agreſtia numina
Dii deaeque genus Jovis,
Frigidum quibus eſt nemus,
Fonſque jugis, & inclyta
  Ara rite dicata:
Rite ſi nemore horrido
Fontè ſepoſito procul
Imminens pelago capit
Ulla vos ſuper arduo
  Ara colle dicata:
Quam relinquo dolens querens,
Quam reviſo volens lubens
Vos ego? & tenerum in ſinum,
Dia ad otia, gaudeo
  Memet abdere veſtrum.
Sive ſub nemoris nigri
Delitere comis juvat
Et fluente brevi in tuni-
ca ad vagi Zephyri levem
  Frigerarier auram.
Sive dulce loquaculi
Fontis ad gelidos ſpecus
Seſſitare, & aquam hac & hac
Somnuli illecebram manu
  Uſque pellere lenta.

Tum modo ſpatiarier
Garrula cithara gravem:
Collis e ſpecula modo
Mille cernere puppium
Vela praetereuntum:
Cum calore canis gravi
Terra & aequore perfurit,
Fervidoque Hyperione
Arctos icta vacat gelu
Triſtibuſque tenebris.
At dies brevioribus
Rapta cum ſpatiis ruit,
Brumaque extulit horridum
Verticem gelidae nivis
Imbriumque potentem,
Tum foco ſilva integra
Advoluta hilarat domum.
Nos pigri utraque & utraque
Cruraque & latera indidem
Uſtulamus ad ignem.
Verna pingue mihi veru
Verſat, & pereat cavet
Ne qua ſtilla beatior:
Ac premens fovet offulis
Uncta cruſta ſvillis.
Promit hic ſibi Caecuba,
Miſcet ille Falerna, nec
Hic nec ille ſpuit, negans
Firma Maſſica lenibus
Diluenda Calenis.
Tum ſatur genium laris,
Tum larem genii canit:
Stridulaque ſtrepens cicu-

ta hinc, & hinc male ſobrio
Ter ſolum pede pulſat:
Uſque dum veniens genis
Conniventibus, & pede
Debili ſopor, unus ut
Quiſque eat cubitum monet
Oſcitante labello.
Qui novi tibi floſculos
Veris explicet, explicet
Is minore negotio
Quot nocte media micant
Clara ſidera caelo.
Nec meum officium mihi
Excidit: facio Jovi
Maximo, reliquiſque Diis
Semper: ut decet, & boni
Tradidere parentes:
Sive ſolis ad extimos
Cardines, citimoſve ſe
Vertat annus, amabile
Sive rideat ad pares
Mollis aetheris horas.
Illa nocte dieque me
Cura fervidior coquit
Sola, cetera liberum,
Ne ſacri ulla operatio
Negligatur aviti.
Hic diu mihi vivere, &
Hic tandem liceat mori,
Semper & lateam immemor
Omnium, bene nec mihi
Saepe cognitus ipſi.
Quod meus Fabius ſuo

Cum Polo facit optimus
Optimo, Capimontio
Rure qui ſibi candidum
Laetus exigit aevum.
Quod Caſerta facit meus,
Pontietta facit meus,
Ille moribus aureis
Clarus, hic fidibus ſacris,
Infulaque decorus.
Quod Mapphaeus ad uvidi
Rura frigida Tiburis
Nuper ambitioſius
Velle ſe quoque credulis
Jactitabat amicis.
At Farneſius inclytus
Vota diſſipat irrita:
Et jubet medio in foro
Scribat hiſtorias graves,
Ludicrumque poema.
Sed Farneſius, omnia
Qui poteſt, mihi tum meum
Poſſet excutere Annium,
Cum ſuum imperium ſibi
Poſcet urbis & orbis.
Sic diu hic mihi vivere,
Hic mori liceat mihi:
Et Farneſius, ut lubet,
Poſſit omnia maximo
Nil avo minor olim.
Voſque agreſtia numina
Dii deaeque genus Jovis
Eſte vos faciles mihi,
Vos Lares, Genius, foci

In-

Intonate ſiniſtrum.
Sic laetum vireat nemus
Semper, & vitreus fluat
Fons perenne, recentibus
Ara fumet odoribus:
Intonate ſiniſtrum.
Ipſe non Heliconio
Collis invideat jugo:
Ipſa non Aracynthios
Optet acta ſibi modos:
Intonate ſiniſtrum.
Nullus huc aditum ferat,
Nullus aut grege cum improbo
Paſtor impius, aut mala
Ales, aut quadrupes fera:
Intonate ſiniſtrum.
Nullus undiſoni aequoris
Fluctus auribus obſtrepat.
Nulla vos violentior
Tundat aura Favonio:
Intonate ſiniſtrum.



JO. MATTHAEI TOSCANI CARMINA

DESCRIPTIO SENILIS AETATIS.

MORTIS propinquae nuntia
Pulſat ſenecta jam fores,
Canaque verticem nive
Conſpergit : & frontis cutem
Criſpat, profundos imprimens
Sulcos : & aridas genas
Pallore veſtit buxeo :
Uſumque minuens aurium
Vocis meatus obſtruit :
Jugique luminum elicit
A fonte lippitudinem :
Unamque palpebram alteri
Jungit tenaci glutine :
Muccoque nares rancidas
Damnat perenni, & polypo
Affligit uſque: dentium
Ex ore vallum decutit
Balbo : ſalivam profluam
Derivat in barbam cavo
Graveolentis animae de ſpecu.
Jam conſueto munere
Effoeta noſtri corporis
Pars nulla fungitur ſatis.
Caecutiunt enim vitro

Nunc

Nunc destituta lumina.
Vox rauca: nec gustus dapes
Selectiores appetit.
Omnesque concutit tremor
Artus: gravedo longius,
Nec tussis abscedit comes
Molesta. anhelitus frequens
Ab intimo haustus pectore
Jamiam recessurum monet
Aegre retentum spiritum.
Quid ergo? an idcirco, trahit
Originem qui caelitus,
Divinus ille, ille igneus
Vigor recessit, intimis
Quem mi medullis inserit
Caelestis aura spiritus?
Non illa non vis pectoris
Languente languet corpore.
At semi mortua erigit
Haec membra mens haec vivida.
En optimusque & maximus
Rector rotundae machinae
Dextram labanti porrigit,
Et occidentes corporis
In mente vires suscitat:
Suique amoris fervidos
In corde aculeos inserit.
Clamore muto pectori
Meo insusurrans ad suum
Numen vocat, trahit, rapit.
Adsum pater o, adsum tuo
Sacrò aestuans cupidine,
Mortalium rerum omnium, &

Ipsius

Ipsius immemor mei,
Solius at memor tui.
Tu dux, pater, rex, & Deus
Pronum, volentem, concito
Cursu ad volantem suscipe.
Jam corpus hoc sibi grave,
Primaeque matri debitum,
Quam cernuum in dies magis
Curvo intuetur vertice
Suis refer primordiis.
At hunc vigentem spiritum
Divinitatis ad tuae
Typum creatum, & dextera
Fictum tua, necessitas
Quem nulla mortis opprimet
Lustra benigno lumine.
Huic exeunti, terrea
Huic exuenti vincula
Alas volucres applica,
Ut praepetis aquilae modo
Suprema tranans nubila
Humo relicta sedibus
Tuis, pater, se immisceat,
Tui fruatur perpete
Ut numinis praesentia.

EPINICION CHRISTIANI ORBIS
TURCARUM CLASSE AD LEPANTUM
PROFLIGATA.

QUISQUIS adest, imbuta sacro cui pectora Christo,
Cordaque non ficta relligione calent,

Quam-

Quamque tener lymphis tinctus lustralibus infans
  Induit, intrepidus pro pietate mori,
Nunc effusa pio testetur gaudia plausu,
  Nunc laeta ter io voce triumphe canat.
Nulla dies Christum veneranti laetior orbi
  Solis ab Eoo sustulit amne rotas:
Nunc demum intrepido vitales ducimus auras
  Pectore: nunc demum libera turba sumus.
Cantet io paean merito laetissimus orbis
  Hesperia periit classis Eoa manu.
Hactenus invicti celebratus nomine Turca
  Posse malo discis vincier ipse tuo.
Praevalidoque caput mutilatus perfide cornu
  Sentis victrices in tua damna manus.
Ergo miser tanto frontem spoliatus honore
  Attolles truncum qua ratione caput?
Nos igitur spoliis populus cumulatus opimis
  Pergamus summo solvere vota patri.
Ante tamen castas purgent jejunia mentes:
  Labeque sint omni pectora nostra procul.
Quin agendum Divum sacris advoluimur aris,
  Votivisque micant tura Sabea focis?
Caelicolum imprimis grates persolvere regi
  Cura sit, & tali fundere voce preces.
Omnipotens genitor, summi cui sidera Olympi,
  Humanumque genus, regiaque ima subest:
Cui chorus aethereus servit, mentesque beatae:
  Qui populos placida justus ab arce regis.
Tu gentis delicta tuae miseratus, iniquo
  Nostra jugo prohibes subdita colla premi.
Tu tumidam Scythici rabiemque minasque tyranni
  Comprimis, atque avidam sanguinis usque sitim.
Egerat extremi vites qui Orientis & Indos,

Gentis

Gentis in exitium corda parata tuae:
Cum conjuratae noſtras reſcindere claſſes
Caerula texerunt aequora mille rates.
Immenſum ferus ille animis invaſerat orbem,
Cui fuerat tellus nulla futura ſatis.
Cujus inexhauſti fuerant pars ultima voti
Cypria crudeli regna ſubacta jugo.
Jam Vaticani dementes corde ruinas,
Romanoque rogum ſtruxerat imperio
Ebrius, & dulci fortuna quidlibet audax
Sperare & laetis caſibus uſque ferox.
Urbe triumphata captivum ducere Tibrim,
In ſua purpureos addere vincla patres:
Cuique pater geminas rerum permittis habenas
Pontificem ſolio depoſuiſſe parans.
At tu ſancte parens ſortem miſeratus acerbam
Atque adverſa tuo fata propinqua gregi,
Proſpicienſque tuis tantam impendere ruinam,
Nullus ut humana ſiſtere poſſet ope:
Veſanum invicta minuis virtute furorem,
Aſſertorque tui ſtrenuus orbis ades.
Nam te autore pii coëunt in foedera reges:
Pectoraque unanimi jungis amica fide:
Communem ut poſcant ſociatis viribus hoſtem,
Qui viguit noſtra ſeditione diu.
Illinc emicuit noſtrae ſpes prima ſalutis,
Sola haec vincendi certa reperta via eſt.
Non humana modo conſpirant agmina, pennis
Vecta ſed aetherea labitur arce cohors.
Haec cruce ſignatis animos vireſque maniplis
Addidit: incuſſit ſed tibi luna metum.
Luna Paretonii ſignis quae impreſſa Tyranni
Non duraturi roboris omen eras.

Namque

Namque Deo, ducibusque Dei, ventisque secundis
  Gens pia lunigerum subruit agmen aquis.
Plebs igitur devota tibi, Rex, debita soluit
  Munera, quae meriti est pars quotacunque tui.
Tu cape quos pietas aris tibi sacrat honores,
  Et studiosa tui suscipe corda libens.
Nos nomen laudesque tuas celebrabimus & cum
  Advehit Eoo Phoebus ab orbe diem:
Et medii postquam spatium est emensus Olympi,
  Cum pars acta, manet pars obeunda viae.
Nominis alma tui veniens praeconia vesper
  Audiet, & medio lucida signa polo.
Tu modo sancte parens felicibus annue coeptis,
  Orsaque divino lumine nostra rege.
Nunc age laeta Dei sacris operata juventus
  Sumamus genio laetitiaeque dies.
Nunc juvet Assyrio medicari rore capillos,
  Ferreque odoratae florea serta comae.
Laeta corymbifera frontem redimita corona
  Tota cohors docili ter pede pulset humum.
Optima nunc tellus, nunc formosissimus annus,
  Pressa fluunt pleno pinguia musta lacu.
Dicite io paean, & io ter dicite paean
  Occidit Aegeis barbara classis aquis.
Solenni lux ista sacro celebranda quotannis
  Nomen ab aeterna posteritate ferat.
Cesset opus: tauri repetant praesepia fessi:
  Nec valido cultor pondere laedat humum.
Bellator positis veniat mansuetior armis
  Funereae postquam conticuere tubae.
Turba ministerio cesset feriata remisso:
  Et sileant rauco jurgia longa foro.
Ignibus innumeris densas arcete tenebras,

Ut

Ut niteat multa lampade clara dies.
Signaque laetitiae populis arſura beatis
Expedit innumeras tollere ad aſtra pyras.
Jam tormenta gravi reſonent diſploſa fragore:
Turribus ex altis aera repulſa ſonent.
Vos pueri, innuptaeque choros agitate puellae:
Impediant nitidas florea ſerta comas.
Plauſibus & late vacuus circumſonet aër:
Concordi feriat ſidera voce ſonus.
Dicite io paean, & io ter dicite paean:
Occiduum ſubiit claſſis Eoa jugum.
Candida Relligio praeclaris aucta triumphis
Erigit invicta partu trophaea manu.
Namque ea barbaricas violenta cuſpide puppes
Perculit, & Scythicas ardua fregit opes.
Undique conſpicuis volitat Victoria pennis,
Exultanſque ſuo nomine cuncta replet.
Fama per immenſum laudes diſſeminat orbem,
Noſtrorumque canit fortia facta ducum.
Sed cui non tacitum pertentant gaudia pectus,
Adfuit ut tanti nuntia fama boni?
Excutit ex humeris glaciem pater Apenninus,
Hirſutumque novo veſtit honore caput.
Formoſae Dryadeſque cavis & Oreades antris
Ancipites ducunt molliter arte choros.
Explicat Eridanus placidas manſuetior undas,
Cui premit humentes mollis arundo comas.
Turbaque natarum virides ornata capillos
Laſcivum jactant per vada lenta genu.
Laetitia geſtit Rhodanus: laetuſque Garumna
Heſperium tumidas in mare voluit aquas.
Ipſe magis ſolito fulva ſplendeſcit arena,
Conſpicuoque fluit dives honore Tagus.

Quin

Quin etiam Actiaci stupuerunt littora ponti,
  Udisona & tanti conscia saxa boni.
Ipse pater pugnam sensit Neptunus ab antro
  Aerea dum motas machina terret aquas:
Et migrasse suas tonitru miratus in oras
  Uvida caeruleis extulit ora vadis.
Corpora ut aspexit vastas fluitare per undas
  Milleque disiectas per sua regna rates,
Sparsa natant summis dum fluctibus armamenta,
  Dum Scythicus pontum purpurat omne cruor:
Actiaci (dixit) cedant Auguste triumphi,
  Cumque suo mollis foemina pulsa proco.
Hellespontiacam cedat qui ratibus oram
  Junxerat, exiguae praeda futura manus.
Prisca suas taceat laudes plebs Romula, quamvis
  Bis Poeno Siculas sanguine tinxit aquas.
Omnia facta patrum sileat verbosa vetustas:
  En premitur titulis gloria prisca novis.
Te quoque magne pater pudeat ne cedere nato
  Carole, cui domino cessit uterque polus.
Gestave non pigeat nati majora fateri
  In regnis quotquot gesseris ipse meis.
Pars licet illa tibi fuerit non ultima honorum,
  Venit ab immenso quae tibi parta mari.
Tuque age majorum juvenis memoranda tuorum
  Vincere sic titulis nomina perge tuis.
Macte nova virtute ducum generosa propago,
  Praesidium Austriacae dulce decusque domus.
Surgit ab Hesperio celebris tua fama cubili,
  Et superat rubri littora curva maris.
Te victor colit Hesperius: tibi decolor Indus
  Praeparat imperiis colla domanda novis.
Vindice te famulas sperat captiva catenas

Hellas, & infandum deposuisse jugum.
Sic fatus, valido mox aequora vasta tridente
Impulit: & raucis tempora mersit aquis.
Tum simul Austriacum Nereïa turba Joannem
Ingeminat, Triton personat Austriacum.
Austriacum sinuosa sono collisa resultant
Littora, & Austriacum saxa repulsa fremunt.

HYMNUS IN CHRISTI NATALEM DIEM.

ANNUA nascentis redeunt solennia Christi,
Dum sacra virgineo pondera ventre fluunt.
Cesset opus: sacrisque vacent exempta labori
Corpora: nam festa luce vacare decet.
Jam pecudes, fessique petant stabula alta juvenci:
Nec valido cultor dente fatiget humum.
Mitescat positis miles mansuetior armis:
Nec raucae moveant aspera bella tubae.
Sacra coronatis celebrentur mystica templis:
Uranturque piis thura Sabaea focis.
Haec est alma dies nascentis conscia Christi
Sanguine tersuri crimina nostra suo.
Singula dum refero linguis, animisque favete,
Cur pius aetherea venerit arce Deus.
Qua Titan rutilo conscendit in aethera curru
Ridet inexhausto veris honore locus.
Plurimus hic vitreis trepidat pellucidus undis,
Blandaque nectareus murmura rivus habet.
Hic querulis vacuas mulcet concentibus auras
Inter odoratum turba canora nemus.
Per liquidum placidis volitat levis aera pennis,
Et florum aeternas excitat aura comas:
Educat illa rosas, immortalesque amaranthos:

Et

Et vario nitidum pingit honore solum.
Lactea perpetuis labuntur flumina rivis,
Flavaque de viridi cortice mella fluunt.
Sponte sua tellus maturis canet aristis:
Atque arbos nullo poma jubente gerit.
Nec tales olim felicia Gargara messes,
Nec sata Trinacrii culta tulere soli.
Haec inter primi vernantia rura parentes
Ducebant laetos tempus in omne dies.
Nec tristes suberant morbi, nec lenta senectus
Cogebat tremulo membra movere gradu.
Ipse quoque, aethereum mundi qui temperat arcem,
Immunes dederat vivere posse necis.
Tabificus tanto serpens invidit honori:
Et tacita struxit callidus arte dolos.
Illius impulsu vetitum male credula pomum
Obtulit ignaro foemina prima viro.
Tum Pater imponens poenas pro crimine, jura
Vindicat imperii facta minora sui:
Tunc fortunatis fontes exegit ab oris,
Et dedit irato talia dicta sono:
Quae tibi, nostra nisi violasses jussa, perennis
Adfuerat placido vita tenore fluens,
Nunc brevis, & multo venit aerumnosa labore,
Aegraque per leti mille trahenda metus.
Quasque benigna prius tibi terra ferebat inemptas
Nunc dapibus pretium non leve sudor erit.
At, quae prima meas temerasti perfida leges,
Haec te commissi poena luenda manet:
Ne prius ex utero conceptus prodeat infans
Quam decies curvum luna retexat iter.
Mox paritura graves gemitu testere dolores:
Ut jucunda minus sit tibi vita nece.

Dixerat haec Genitor justa correptus ab ira:
  Et jussit triplices scribere dicta deas.
Hinc labor, hinc lacrimae subeunt, hinc curva senectus,
  Aegraque consumens corpora dira lues.
Semotique prius fati vis effera terris
  Incubuit, lentum corripuitque gradum.
Tantum letiferae poterant contagia culpae,
  Ut lueret patrum crimina posteritas:
Primaque postremos tangebat culpa nepotes.
  Proh quam laesa semel numina magna nocent!
At Deus hanc hominum sortem miseratus acerbam,
  Nosque ratus dura conditione premi,
Collectasque videns vectari in Tartara praedas,
  Quos prius artifici finxerat ipse manu,
Consortem statuit natum demittere Olympo,
  Certa salus terris quo veniente foret.
Mox simulans agili corpus juvenile figura
  Ales ab aetheria labitur arce poli.
Atque ubi virginei successit limine tecti
  Nuntiat aeterni maxima jussa patris.
Hanc subita summis demissus spiritus astris:
  Concipit & salua virginitate Deum.
Incorrupta pio complentur viscera foetu:
  Foecundi verbum seminis instar habet.
Clara per obstantes sic se phoebaea fenestras
  Fundunt illaeso lumina saepe vitro.
Contractam virgo sic crimine virginis iram
  Expiat, humanum restituitque genus.
Cynthia jamque novem curru compleverat orbes,
  Ac prope nocturnos dena movebat equos:
Jamque dies aderat partus celeberrima sacri:
  Castaque divinum membra gravabat onus.
Quem mare, quem tellus, quē non capit arduus aether,
Autorem

Autorem virgo protulit ipſa ſuum.
Nec ſolitos ſenſit partu reſoluta dolores:
Sed facile aethereum, ſponteque fluxit onus,
Purpura non artus texit, non ſerica veſtis,
Sed nudam nudo corpore preſſit humum:
Haec gremio excepit gaudens caeleſtia membra,
Atque novo fovit gramine molle latus.
Ipſa etiam clari praeſepia conſcia partus
Credibile eſt tantis laeta fuiſſe bonis.
Quin & aſellus iners, & pandi vector aratri
Ante Denm curvo procubuere genu.
Laeta haec prima dies fulſit mortalibus aegris:
Certior hac mundo cepit adeſſe ſalus.
Hac igitur meritos templis cumulemus honores:
Naſcentemque juvet concelebrare Deum.
Chriſte dicata tuo natali ſacra frequenta,
Atque pias facili concipe mente preces.
Dexter ades: populique tui pius annue votis,
Cordaque caeleſti lumine noſtra reple.

AD HENRICUM III. GALLORUM REGEM, DUM EJUS E SARMATICA ADVENTUS EXPETERETUR.

PER bella dextrae mutua civicae
Ruentis o ſpes unica patriae,
Virtute defunctis create
Regibus ac geniture reges,
Henrice: moeſtae jam nimium diu
Abes parenti, & concilio patrum,
Illiſque, quotquot nulla cives
In proprios inimicat ira.
Tuo cupitam dux populo bone

Lucem reporta, veris amabilem
Horam reducens; nunc aquosa
Saevit hiems premimurque nube.
Audax, Iberi trans maris aequora
Visendus orbis quem studio novus
Allexit, auri vel talentis
Cura inhians, nimis & cupido
Avara gazae, navita Atlantico
Deprensus alto, cum rabies Noti
Luctatur in fratres, & imo
Astra furens pelago lacessit,
Gemella vultu lumina pallido
Poscens, ut amplas ominibus preces
Admiscet, aeternos supinis
Dum manibus superos adorat:
Sic te requirit Gallia, Sarmatis
Quem terra dulci distinet a domo
Experta prudentis sagacem
Sensum animi, validumque robur;
Simulque claris orta parentibus,
Et culta doctis artibus indoles
Quid posset: exemplisque facta
Ut veterum stimulent avorum.
Supremus at non arbiter annuit,
Diu per arva ut perpetua nive
Damnata regnes, jura reddens
Danubium prope flumen ortis:
Supplex alumnum sed repetit suum
Soluta crines Gallia lugubres:
Tu supplicis votis iniquas
Rumpe moras reditu secundo
Ad regna pridem debita, Rex, tibi
Ades: furentes & populi impetus

Con-

Contunde, vesanumque Martem,
Qui miseras furiavit urbes.
Informe leges edomuit nefas:
Dum poena vindex, & placidae silent
Dum pacis artes: una mentes
Atra ciet furiis Erinnys.
Hinc alma terras funera Galliae
Exosa liquit cum socia Fide
Astraea: pollutis nefanda,
Relligio, Pietasque, caede
Concessit agris protinus, heu nefas,
Audax Enyo, tum superum ferox
Contemptus, & Cupido avara
Sanguinis in scelus omne dextras
Obarmat. Ecquid dura nefarium
Refugit aetas? quid rabidus furor
Reliquit intactum? unde dextras
Continuit sitiens metalli
Fulvi Cupido? quas fera non manus
Evertit aras? quis solidas videns
Arcesque labentes & urbes
Temperet a lacrimis? Sed omnem
In te reponit Gallia spem suae
Salutis: aestu corda tumentia,
Fluctusque compones, & orbem
Constitues vacuum duellis.
Custode rerum te validis furor
Audax habenis ora dabit: scelus,
Et tristis armorum tumultus
Terga dabunt inimica paci.

AD REGINAM CHRISTIANISS. REGIS MATRIS, GALLIAE PACATRICEM.

REGINA, ſacri non juvenis modo,
Avita juſtis imperiis tenet
Qui regna maternis regenda
Non ſine conſiliis : habenas
Seu colligat ſeu laxet : ab ultima
Sed quotquot ora Maſſilici freti
Ad littoris fines Britanni
Urbibus innumeris ſuperbum
Solum frequentant undique, gentium
Benigna mater : exitialibus
Quas invicem armis ſaevientes
Foedere non ſemel impetratae
Pacis ligaſti : quae indomitis jugum
Cervicibus mite excutientium
Frenans furorem inſanientes
Imperiis populos coerces.
Quae dona ſolvet, marmora quae tibi
Pacata ponet Gallia ? quos tuis
Amica Muſis conſecrabit
Turba pares meritis honores?
Quae gens, quis ordo, quae plaga Galliae,
Quis ſexus, aetas quae tibi ſe neget
Debere, quod ſpirant duelli
Anxia corda metu ſoluta?
Delubra, pridem quae poſuit pia
Caeli colonis relligio patrum,
Exhauſit at nuper nepotum
Acris opum ſitis, & Deorum

Con-

Contemptus, eheu, dum ſtolidus furor
In dedicatas ſaevit imagines,
Germanicae nequid relinquat
Perfidiae ſceleriſve inauſum,
Quod nunc ruinam non trepidant, preces
Quod conſuetas aethereo patri
Fas eſt litari, quod Sabaeos
Ara frequens adolet vapores,
Regina totum muneris eſt tui.
Tu nunc vetuſtis pectora ritibus
Antiſtitum ſacrata paſſim
Enſe fodi prohibes profano:
Vitaeque cenſus ſufficis annuos,
Quos ante dirus praeripuit latro,
Myſteriis dum ſacroſanctis
Nec ſegetes neque vina linquit:
Pluſquam efferatae frena licentiae,
Qua ſaevit hoſtis barbarus, iniicis.
Sibique praedae deſtinantem
Gallica templa ferum relegas
Caeli peroſum numina Teutonem,
Miſcere flammis omnia cui foret
Luſus, nefanda quem cruentum
Per ſcelus omne rapit libido.
Tibi maritus debet, adulteri
Erepta quando militis e manu
Colit cubile nupta caſtum
Jam ſobolem paritura certam.
Secura virgo conſiliis tuis
Intacta ſervat gaudia nunc ſuo
Sponſo: Deoque conſecratum
Sacra puella colit pudorem.
Quae Martis inter bellica claſſica

Du-

Dudum silebant, cum potior foret
Injuria aequo, nunc coërcent
Jura nefas ope restituta
Tua, & sagaci mentis acumine,
Quod corpore est in foemineo tibi
Virile, condignam probatque
Progeniam MEDICUM te avorum.
Nam subditis quod tu populis paris
Secura totis viribus otia,
Exosa quod duella pacis
Artibus imperitas, avitum
Hoc ceteris prae laudibus obtines:
Hoc ipse Cosmus maximus, hoc sagax
Laurentius florentis urbis
Nomineque imperioque habenas
Rexit. quibus non inferior tua
Virtute, major sed titulis pie
Cognata decertare ferro
Signa vetas monitis amicis
Mulcens tumentes viribus, ebria
Placansque Martis corda cupidine:
Ut mollis imber praeliantes
Aeolios juvenes refringit.
Nam quid malorum te sine Gallia
Non pertulisset, cum segetes equus
(Ceu prata tonderet) novellas
Spem miseri meteret coloni,
Famemque nostris urbibus annuam
Indiceret? cum lanigerum pecus,
Matresque plus lupis timendus
Cum vitulis laniaret hostis?
Sol quis malorum mille nocentium
Narret figuras? quis lacrimas, graves

Et

Et Galliae moeſtae ejulatus
Carminibus numeret trecentis?
Nunc ipſa grata quae in melius vice
Regina mutas, auſpiciis tuis
Pro luctibus riſum, ſerena
Gaudia pro gemitu reportans,
Agroſque reddens frugibus uberes,
Et ſacra templis, juſque ſuum foro,
Et conjuges viris, colono
Spemque bonam pecudeſque abactas.
Gymnaſiorum, quae ſitus indecens
Jamiam occuparat, reſtituis decus:
Et nuper artes quae jacebant
Nunc docilis repetit juventa.
Tu nanque doctas inſolito feri
Martis tumultu Sequanicis plagis
In Theſpium montem fugatas
Cum Clario revocas ſorores.
Non, fronde quanvis Mercurialibus
Viris dicata nomina duceret,
Parenſque dici litterarum
Promeritus fuerit tuorum
Laurens avorum grande decus, ſacra
Lauro revinctis frontibus adfuit
Praeſentius numen, piorum
Te columen CATHARINA vatum.
Vates foventem praemia nec manent
Caduca: ſed dum merget Iberico
Sol gurgite axem, dumque Eoo
Cardine iter releget diurnum,
Quacunque currus ille agitat, decus
Muſis amici nominis, & tuos
Per ora diffundent honores

Diſ-

Dispositis fidibus Camoenae:
Dicentque clara te MEDICUM domo,
Quae ab usque Athenis ducat originem
Novae editam luci in virenti
Margine lene fluentis Arni,
Urbem secantis gentis amabilem
Ethruscae ocellum, quae gremio tuam
Puertiam fovit, Minerva
Dum studio Charitesque alumnam
Formant pudico, & dant sapientiae
Caelestis oris par decus, & graves
Mores, vel invitus necesse
Quos habeat celebrare livor.
Formae quibus tot pectoris & bonis
Puer medullis regius intimis
Exarsit, & moerenti ab Arno
Vexit ovans patrias in oras.
Pulcrae parentem quem sobolis fera
Heu falce praeceps abstulit Atropos,
Quot Galliae funesta bella,
Quot miseras paritura clades!
At ille nulli flebilior licet
Abrupta sensit stamina quam tibi,
Tuque aegra langueres acerbo
Parte tui viduata fato:
Tamen malorum fluctibus integrae
Non ille mentis succubuit vigor,
Constantis aut infracta cessit
Vis animi, Medicum propago
Qua saevientis pertulit impetus
Et sortis omnes instabilis vices:
Sed ipsa pectus imminenti
Obiicis impavidum procellae,

Quae

Quae fluctuantis dum freta Galliae
Multos per annos miscuit, omnibus
Ipsa artibus natis tueris
Sceptra tuis soliumque avitum:
Detrudere illos quo temeraria
Vi moliuntur ausibus aemulae
Gentes Gigantaeis, parato
Ipsa animo nisi restitisses.
Non, Musa, non haec naenia gaudiis,
Obducta tractans ulcera, convenit.
Nunc conticesce, vel jocoso
Laetitiam modulare versu.

AD GILBERTUM GENEBRARDUM
THEOLOGUM, ET LINGUAE SANCTAE REGIUM PROFESSOREM.

GENS prisca vatum, Cinthius annuit
Quibus Diones jugera libero
Gressu pererrare, haud caducos
Dum capiti legerent honores,
Seu forte digno pectine fortium
Pectus virorum non timidum mori
Cantabat, aut partos honores
Ancipitis mala per duelli:
Seu parva jungens carmina tibiae
Pugnata dixit praelia noctibus,
Formae decentis dum caducum
Laude decus celebrat perenni:
Quidquid canebat, Gratia dummodo
Cultis faveret carminibus, deum
Aequare sortem se, beatis

Carius hoc Arabumque gazis
Habebat unum : pauperiem malam
Ac dura vitae incommoda negligens,
Si fonte nunc artus salubri
Nunc gelido recrearet antro.
Hac ipse vana captus imagine
Ementientis nec soli boni
Per Thespias olim salebras,
Ardua vel juga per Palati
Musas sequebar, dum tenet Appulae
Stupor camoenae, nec juvenem satis
Firmum & sequacem grata haberet
Compede me Venus impeditum.
Donec Calypsus illecebris diu
Capto, marinaeque hospitio deae
Sic desidenti, ut mente prorsus
Immemori patria excidisset
(Non illa duris rupibus aspera
Domus, sagacis qualis Ulyssei,
Felicitate sed perenni
Patria Christicolis fruenda)
Cyllenius ceu missus ab aethere
Turpem veternum sensibus excutis,
Viroque dignas Christiano
Mente jubes agitare curas.
Nam non caducae cum sapientiae
Captum viderem te studiis, tuae
Menti, pium quotcunque possit
Artibus ingenium beari,
Abesse nullam, protinus intimis
Exarsit ingens visceribus pudor:
Horasque deflevi profanis
Tot studiis male collocatas.

Quid

Quid culta produnt carmina, pectoris
Morbum furentis praeter? & impia
Quid daemonum (haud enim deorum)
Nomina tot, nisi sentientem
De trino & uno non bene numine?
Quid fabulae, & praeconia principum
Conficta, nonne mentiendi
Vatibus esse negant pudorem?
Ast o beatum caelitus insitam
Quisquis superne partem animae erigens
Deum intuetur, eque sacris
Noscitat hunc, Genebrarde, chartis,
Quascunque Moses ore prius Dei
Promptis notavit legibus, & lyrae
Davidicae, atque oraculorum,
Enthea quae cecinere corda
Vatum piorum, pervigil eruit
Sensa e tenebris mystica: nec satis
Aut Graeca ducens aut Latina
Quod terat assiduo labore,
Ipsa Hebreorum sacra volumina
Versare quaerit, fontibus hauriens,
Haud e lacunis: quo recenti
Ipse opifex homini dedisset
Sermone linguam solvere nil prius
Voce eloquutam: particulam luti
Cum spiritus sui supremus
Ipse parens animavit aura.
His omne, deinceps addere quod Deus
Decrevit aevum, me studiis juvet
Dicare, virtuti tuae dum
Me similem, Genebrarde, fingo.

AD

AD LAURENTIUM TOSCANUM PATRUELEM MEUM.

NE, Laurens, cupidum plus nimio tibi
Pectus sollicitent divitiae, tuis
Auri attentus acervos
Dum natis properas pater.
Quanvis non Arabum gens opulentior
Te, baccas cumulet divitis Indiae:
Et differta laboret
Gazis arca tuis minor:
Non quales deceat post genitis opes
Dimittes, vacua cum steterit colo.
Olim Parca, premetque
Leti dira necessitas,
At mentes potius sunt studiis rudes
Formandae ingenuis, dogmataque auribus
Instillanda tenellis
Caelestis sapientiae.
Nam torno facili rasile cum recens
Vas prodit, nimium scilicet interest
Nardo hunc divite tingas,
Tetri faecibus an gari.
Hunc censum tenerae sedulus, hunc para
Thesaurum soboli, quem nequeat mala
Regum auferre libido,
Nec sortis rapiant vices.

PRO-

PROSOPOPOEJA ADRIANI TURNEBI

AD ACADEMIAM PARISIENSEM.

QUID juvat infestis liventia tundere palmis
Pectora? quid sparsas dilaniare comas?
Tristia quid tremulas rumpunt suspiria voces,
Imbre rigante genas, imbre rigante sinus?
Quo cultus abiere tui? cur squalida moeres?
Fundis & in saevos irrita verba Deos?
O mihi quae dulci fueras, Academia, vita
Carior, atque animi sedula cura mei.
Excute sollicita conceptos mente dolores:
Et nimium longis fletibus adde modum.
Non semper moestas ducit Philomela querelas,
Nec soror aeterno carmine luget Ityn.
Memnona Thaumantis, nec caerula mater Achillem,
Orphea nec semper Calliopea gemit.
Sic ubi densa diu texerunt nubila solem,
Ille iterum puro lucidus orbe redit.
Jam nihil est tibi me cur lamenteris ademtum,
Cui steterat vacua Parca severa colo.
Fata manent omnes, & inevitabilis hora,
Non exspectato quae venit atra pede.
Nam quae dispensant mortalia fila sorores
Non exorato pollice pensa trahunt:
Quippe semel quae concordi cecinere tenore
Haec stabilis rerum terminus usque probat.
Non si natus erat Phoebo Rhodopejus Orpheus
Reppulit auricomi fata parentis ope:
Prona licet patrio cohiberet flumina cantu,
Mulceret rigidis aspera corda feris:

Ausus & ire viam viventibus inconcessam
  Lurida Threiciis moverit antra modis.
Sed quanvis tetigi vix limina prima senectae,
  Cum mersere meum tristia fata caput:
Attamen intrepida morientia lumina mente
  Fatiferae telum sustinuere deae.
Scilicet egelidos animus cum linqueret artus,
  Solamen menti dulce Camoena fuit:
Ingeniique mei partus, quibus esse superstes
  Ipse mihi, & fama vincere fata queo:
Praeterea dulces, cum cara conjuge, nati,
  Actaque inoffenso vita serena gradu.
Non ego Calvini volvens monimenta nefandi
  Dispersi in populos dira venena rudes.
Nec dulci patriae, nec templis impius hostis
  Armavi rigidas in sua fata manus.
Sunt etiam nostrae non parva levamina menti,
  Quod mea non Stygias umbra subivit aquas,
Lurida non errant nostri per littora manes:
  Nec sudata ferox exigit aera Charon.
Nec me Cerbereus triplici latratus hiatu
  Tartarei regis terriat ante fores.
Innumerove trahens sinuosa volumine terga
  Hydra minax caecos arcet adire lares.
Non ego Sisyphii summo de vertice montis
  Irritus in praeceps saxa voluta peto.
Nec Phlegetontaeo ferventes gurgite lymphas
  In cava fallaci vasa labore fero.
Non mihi Lethaeas fugientia poma per undas,
  In mediove fugax quaeritur amne liquor.
Porrective novem campi per jugera lati
  Intima inexpletus viscera vultur edit.
Nec patior diri saevos Ixionis orbes,

Verſatus rapidae vinctus ab axe rotae.
Aſpera Tyſiphone brevibus torquata colubris
Non quatit in noſtrum torta flagella caput.
Nec fera Titanum metuo diſcrimina, nec me
Concluſum aeterno carcere Cottus habet.
Virtutem non ille locus, menteſve beatas,
Nec capiunt manes impia regna pios.
Ipſa mori immeritis virtus pia regna recludens
Nobile ſemoto tramite tentat iter:
Vulgares procul haec coetus fugientibus alis,
Lucidaque affectans ſidera temnit humum.
Huc rediit, fragiles ubi liber ſpiritus artus
Exuit: hic ſolida proſperitate fruor.
Hinc video ſceptum ſeptenis orbibus orbem;
Aſtraque conſpicuis lucida vecta rotis.
Intueorque vago luſtrantem ſigna meatu,
Sidera qui mundum per duodena regit.
Et circumfuſas denſa caligine terras,
Et quanta exiguum nocte prematur opus.
Denique cuncta latent veſtros quae numina viſus,
Illa patent oculis conſpicienda meis.
Ergo agite indignos de me compeſcite luctus:
Ut mala conſtanti veſtra leventur ope.
Scilicet humanos mens eſt infuſa per artus
Ut fortis valido pectore tela ferat.
Cordaque difficiles animis ſuperantia caſus
Inclyta perpetuae laudis honore vigent.
Parva licet, longo creſcit jactura dolore,
Ut male perpeſſum fortius urget onus.
Denique flere aliquid nullo reparabile luctus,
Eſt animi nimium deſipientis opus.

AD PAULLUM TOSCANUM.

CUM persaepe animo meo volutem
Quo te, Paulle meum decus, meorum
O autor, columenque commodorum,
Donem munere: quid potissimum, ne
Ingrati videar notam subire,
Obtulisse queam: nihil pote unquam
Mi succurrere, quod tibi dicetur,
Observantiae ut id perenne nostrae
Esset mnemosynon. tibin' beato
Donem divitias? at ipse me ultro
Beastique opibus tuis beasque.
Mittam carmina? mittere haec poëtam
Fas est: saepius haec & ipse misi:
Sed nonne haec tua sunt, tuo parata
Aere jam tibi sumptibusque largis,
Quibus me, teneris ab usque, claris
Curasti studiis probe expoliri?
Restat solum animus: tibi at dicatus
Hic pridem fuerat, tuusque totus.
Quid ergo superest, nisi ut putemur
Ingrati? at nihil hoc mage indecorum,
Hanc ergo ut maculam vitemus, ipsa
Quanquam nnnc tua sunt, fuere & olim,
Opes, musam, animum tibi dicamus.

AD M. ANTONIUM MURETUM.

CERTAMEN, Murete, novum: te Gallia civem
Asserit hinc, illinc terra Latîna suum.
Quem nunc implentem Romana Palatia voce
Eloquii

Eloquii priſcum reſtituente decus
Attonitus ſtupuit poſt ter ſibi ſaecula quina
Tibris inauditos dum bibit aure ſonos.
Te mea Roma ſuis dum nuper civibus ultro
Annumerat, gaudens talia verba dedit:
Terra mihi tales Lemovix dum mittat alumnos,
Nil moror Arpinum, municipeſque ſuos.

AD CAESAREM TOSCANUM.

CAESAR nec ſtudiis mihi, nec aevo
Diſpar, ſanguine juncte, juncte longo
Uſu, juncte animoque corculoque,
Et quidem teneris id uſque ab annis:
Sub uno quibus & magiſtro uterque
Vitam duximus, & domo ſub una,
Cum nos menſulaque una, lectuluſque
Unus exciperet. Sed id deeſſe,
Id demum poterat ſatis videri
Diſpar: quando ſacrae mihi dicari
Vitae contigerat, tibi profanam
Sectari. ergo foret tibi una cauſſa
Ne diſcriminis & mihi, ecce noſtrum
Exemplum ſequeris: Deo dicaris.
Ergo quid ſimile eſt magis, gemellum,
Coniunctumve magis, magis quid unum?
Cui fuit Pyladi, cuive Oreſti
Quam nobis melius beatiuſve?

DE HENRICO VALESIO GALLORUM REGIS TUNC FRATRE, ET JO. AUSTRIACO FRATRE REGIS HISPANIARUM.

SUNT gemini juvenes noſtri laus unica ſaecli,
Qui pariter claro Martis honore vigent.
Hic decus eximium Gallis, decus alter Iberis,
Auſtriacae columen, Valeſiaeque domus.
Regibus ambo ſati, fratres ſunt regibus ambo,
Aptior hic terris vincere, at ille mari.
Henricus populos domuit virtute rebelles,
Dum ſtabilit fratris regia ſceptra ſuo.
Sed Janum extremi vires Orientis & Indos
Adria mergentem vidit, & obſtupuit.
Qualia facta dabunt, aderit cum fortior aetas,
Coeperunt quando talibus auſpiciis?

AD CINNAM.

OBVIUS eſt quoties aliquis tibi Cinna potentum,
Cui ſtruat oppiparas uncta culina dapes,
Optatam ut captes per mille pericula coenam,
Aſſiduus lateri jungeris uſque comes.
Ingeris inque aures fallax mendacia mille,
Ut videare aliquid ſic recitaſſe novi.
Sciſque quot Aegeum complerit navibus aequor
Ut reparet lapſas hoſtis Eous opes.
Et quantas contra vires ferat Itala virtus,
Et ſocium jungens robur Ibera manus.
Scis Gallus populos qua fregerit arte rebelles,
Dum ſtatuit firma ſceptra gerenda manu.
Cuncta licet noris diverſum geſta per orbem,
Coenandum noris dum tibi, Cinna, domi.

TU-

TUMULUS ADOLESCENTIS ARMORUM ET LITERARUM LAUDE INSIGNIS: FRATRIS EST PROSOPOPOEJA.

O Nostrae ſpes fluxa domus, florentibus annis
Praecipiti Clothus frater ademte colo.
Quo decus abſceſſit formae, ſperataque duplex
Gloria, belligeri Martis, & arte togae?
O utinam velut haec moeroris pignora noſtri,
Sic ſcalpi poſſent in tumulo lacrimae.
Te̊tetur tamen hoc ſaeclis breve carmen, ademto
Te mihi, dimidium vix ſupereſſe mei.

GENETHLIACON LUCIOLI TOSCANI.

Lucis Luciolus recens in alma
Venit lumina, lucidumque ſolis
Jubar purpureo adſpicit renidens
Ore, quo patriae decuſque frontis,
Et matris facies nitet venuſta.
Nunc partum aureolum, bonae Camoenae,
Vos veſtro ambroſio ſinu fovete:
Et Parnaſide roſcidum labellum
Irrorate lacu: tenella membra
Grato ſpargite Gratiae liquore,
Et veſtris caput impedite ſertis,
Putris quae caries, ſituſque priſcus
Fruſtra morſibus irritis laceſſunt.
Paullus cernitis ut tener ſereno
Spectat lumine, noſcitatque fratrem?
Blanditurque ſuiſque majus annis

Effert ingenium? Editi beato
Nati ſidere, patrui voluptas
Magni, curaque dulcis, inclytaeque
Spes haud fluxa domus, benigna vobis
Fila lanificae neant ſorores,
Annos ut ſimul, arduamque avorum
Virtutem ſuperetis, atque honores.



PIE-

PIERII VALERIANI CARMINA.

DE DIVO JOANNE EVANGELISTA.

TE volucrum Regina canam, te sacra ferentem
Fulmina, te firmo adspicientem lumine Solem,
Solem admirandum; contra quem stare volantes
Non aliae potuere olim, piscesve, feraeve
Non hominũ genus; atque etiam quae a lumine vitae
Progenitae lucem tenuere ab origine mundi.
Tete igitur, proles generosa, volumina dicam
Grandia gestantem insignem diademate, fulvis
Ornatam plumis, rostro aureo, & unguibus aureis.
Nempe Palestinis praevisam vatibus, alis
Ingentem, & caeli ante alios spatia alta secantem,
Non humili in campo, non inter lustra ferarum.
Sed vel caucasea nidum pro rupe superbum,
Culmine vel Tauri, vel summo in vertice Olympi,
Aërios supra tractus, nubesque madentes,
Scilicet humana procul à statione parantem.
Tu vero, tu magne Pater; de pectore cujus
Evolat haec Aquilae facies, quae praepete faustum
Auspicium penna mortalibus afferat, unde
Pacatos Divorum animos, ipsumque Tonantem
Portendat posuisse minas, & debita nostris
Supplicia erratis, aeterna in saecula salve,
Aeternum felix. sed enim, o sanctissime Divum,
Caetera quis digne memoraverit? inclita facta,
Virtutem eximiam, & superatos mille labores
Vinculaque, exiliumque, olei & ferventis ahenum?

Et quae pertuleris magno pietatis amore,
Quo caecam e tenebris, & olenti e carcere gentem
In puram assereres lucem, tu cura Deorum,
Tu genus antiquum & soboles clarissima Regum.
Tu fidus rerum domino comes, & comes alti
Consilii, arcanumque Dei in penetrale receptus
Omnia vestigas sublimi ubi mente per omne
Is caelum, & gremio recubas dilectus amato.
Qualia veridico sapientique ore locutus,
Venturasque vices canis, infandumque laborem,
Aeternamque diem manifesto numine plenus.
Haec canerem, magnoque libens haec ore sonarem:
Sed dolor & patriae eversae lacrimabile fatum
Sevocat, & clades miseris deflere querelis
Cogit inauditas, quaeque ipse miserrima vidi
Incensas urbes, populos, Regesque, Ducesque
Finibus extorres, & iniqua sorte subactos,
Ergo queri, extremisque jubemur poscere rebus
Auxilium, placare Deos, arasque tenere.
Audi igitur venerande senex. seu littora Pathmi
Antiquae, Smyrnamve colis, seu Lydia claudunt
Oppida; seu fati legem evasurus acerbam
Arbitrio jussuque Dei concedis in altum
Elisium, extremumque viges mansurus in aevum;
Sive tuo stillant rores & mella sepulcro:
Te rogo, perpetuae si virginitatis honorem
Servasti, tibi si pluvios in vina liquores
Transformavit amor tuus, & tuus ardor Jesus,
Si tibi rerum opifex carissima pignora matrem
Credidit, idque pii semper meminere nepotes,
Atque aras posuere, virosque & templa sacrarunt,
Tum lucem instituere tuo de nomine, laeti
Quam colimus, cui tura damus, cui vina quotannis;
O tan-

O tandem Italiae duros miserate labores
Adspice nos tantis bellorum casibus haustos.
Sat ferro flammisque datum : sat luxerit omnis
Euganea insanis longum objectata procellis.
Sat Padus,atq;Athesis tumuerit sanguine,Anaxusq;
Et Liris, nec non fatalibus Addua ripis:
Totque hinc inde bonis viduatae civibus Urbes,
Hispanis tantum Italia de gente maniplis
Et Celtis licet, Helvetiisque ferocibus, & jam
Ultima ad haec fertur movisse Britannia bellum.
Quando autem nobis potes implorare favorem,
O semper dilecte Deo divine sacerdos,
Pone modum exitiis; da certum denique finem
Cladibus; Albertumque fove tibi tura ferentem
Corde pio, de Gente pia, pro pace piorum.
Caesaris haec sint vota sui. exorator Julum
Mulceat, atque illi summo delapsus Olympo,
Dum Veneti accedunt comites,dum Caesar adhaeret
Pontifici paribusque animis in foedera tendunt,
Da pater abjectis armis evincere tandem
Indomitos bellorum animos, da corda furentum
Lenire, & placidam pacata per oppida pacem
Olim exspectatam pacem, tua munera pacem
Spargere, spiciferisque Deam redimire coronis,
Atque oleis umbrare vias, stipare penates.
Da demum, ut repleta bono, contagia vitet
Gens humana pium vivendi edocta tenorem,
Erroresque omnes, commentaque vana repente
Solvat, & ad verum vertant sese omnia sensum,
Obtutu in solem firmo, & supera ardua caeli;
Unaque sic unum sapientia lumen adoret.

DE-

DECANTATUM COENIS CORITIANIS;

PETRO MELINO SERVATO. AD D. ANNAM.

SUNT Superi; eſt Pietas; & caelo Numen ab alto
Reſpicit humanos caſus, miſeroſque labores
Pro meritiſque Dei, precibuſque in noſtra feruntur
Vota boni, gaudentque coli, gaudentque rogari.
Et gaudent culti mox promeruiſſe rogantes.
Anna viget. quid enim quorundam inſania contra
Obſtrepat; atque Deum conetur numina peſſum
Vertiſſe, atque ſuos Superis avertere honores:
Eſſe Annam, eſſe Deos, hodie manifeſta pateſcunt
Exempla, eſſe locum precibus, nec inania ad aures
Carmina deferri, quae vatum lingua piorum
Saepe canit; meritiſque Deam tot laudibus effert,
Annua Coritius repetit dum ſacra ſacerdos,
Exhilaratque diem; triſti quem ſidere moeſtum
Sirius inſtituit, quem Fors inimica parabat
Ante alios atrum, & lugubrem reddere, ademto
Romae oculo, Italiae totius flore Melino.
Quẽ juvenem praeſtantẽ animis & pectore magnum,
Ingenioque & dulciſoni modulamine plectri
Egregium ſors dita Orci devolvere ad umbras
Credidit, ah tetrae confoſſum vulnere peſtis,
Surripere ex oculis quamprimum, & mergere iniquo
Funere. Dii melius voluere, nec Anna ſuorum
Immemor eſt vatum, nec virgo puerpera, nec qui
Ambarum exceptus gremio puer, aethere ab alto
Demiſit ſeſe noſtrae ad commertia ſortis.
Audiit Anna preces vatum;neq;Nympha precantem
Contemſit matrem, neque dilectae ille parenti

Abnuit. ille diem tam caecis optimus umbris
Attulit; ille luem affectis decedere membris
Jussit, & in fauces Erebique, Orcique relabi.
Ipsa etiam Dea magna poli de vertice, anili
Visa gradum studio properare, & sedula rores
Collectos supera caeli regione, subinde
Fundere, & afflicto requietem inducere cordi;
Atque ita, quod caeco latitabat corpore virus
Indomitum mollire, & aquis, & gramine lecto
Membra fovere, manuq; furentem elidere morbum,
Et tantum extemplo juveni exturbare dolorem;
Vatibus atque suis servatum reddere vatem:
Qui si forte atras iret nunc mersus in undas
Non chorus hic lectus juvenumq; senumque referret
Ante aras nunc, Anna, tuas sollennia sacra,
Nec Capitolinos celebraret cantibus hortos,
Hortos Anna tibi sacros, doctisque poëtis:
Sed bonus ipse, genas perfusus flumine largo,
Coritius lacrimas in sacras spargeret aras,
Inque ignes, fumoque diem obfuscaret ademtum.
Romulidae Celsi renovarent vulnera fratris,
Seque iterum offerret nobis Hieronis acerbum
Funus, & in lacrimas triplicatis questibus omnes
Diffluerent, moestis clamarent vocibus omnes.
Invidiamque Deum quererentur, & omnia luctu
Complerent; quae nunc laeto plena omnia risu,
Laetitiaque jocisque sonant, & cantibus Evoe
Ingeminant; Evoe superavit fata Melinus.
Fronde coronati, vates, sacrique ministri;
Quos magno secum numero haec ad sacra coegit
Hippolytus Musarum amor & spes unica vatum.
Hippolytus; caro qui sospite laetus amico
Te canit, Anna, tuum numen, numenque tuorum
Con-

Concelebrat; donisque omnes vocat usque poëtas.
Servato ut referant calathos & dona Melino.
Ergo omnes, tali succensi Principe, vates
In mensam laeti libant, & voce salutant
Aeterna numenque tuum, numenque tuorum,
Servatoque ferunt calathos, & dona Melino,
Damnati memores voto. tu, Diva, poëtas
Coritiumque senem, & summa virtute nitentem
Hippolytum, qua nunc servasti mente Melinum,
Amplexare. senex meret hoc: meruere Poëtae;
Hippolyti meret hoc pietas, & fervida virtus.

AD LEONEM X.

ILLA ergo nuper reddita lumini
Longa Aesculapii Navis, in insula
Quam vorticosus turbulenta
Mordet aqua Tyberinus amnis,
Quae fato in alta delituit diu
Oppressa harena, & sentibus obsita
Nulli advenarum per tot annos
Nota, neque indigenis Quiritum.
Visa illa quondam Sarronico e sinu
Appulsa; Romae quum veheret sacrum
Anguem laboranti salutem,
Gaudiaque, & requiem daturum.
Quae firma nostra in ripa ubi constitit
Plaudente Roma, & remige per foros
Lasciviente, atram repente
Illa luem, illa famem hinc fugavit.
Mox quanta ponto poriger in latus
Proramque puppimque est solita, hic diu
Mansura, consensu Deorum

In lapidem obriguit ſacratum,
Dum Roma ſummam rerum habuit potens,
Dumque Imperator jura dabat probus,
Aequata cunctis, in verendo
Cultu habita, & celebrata Navis.
Poſtquam furore & Civium, & hoſtium
In longa adaucto ſecula, funditus
Everſa Roma eſt, & triremis
Obruta in his latuit ruinis.
Effoſſa at imo non temere eſt ſolo
Nunc demum, & undis eminet ardua,
Spondens ſalutem rebus aevi
Peſtiferis operoſiorem.
Praeſente nam qui numine Pontifex
Electus, ima in Tartara dat ſcelus
Bellorum, & accerſitam Olympo
Huc placidam jubet ire pacem.
Hanc illa quondam Navicula in jugis
Suſpenſa Romae fatidico omine,
Rectore Jano, olim affuturam
Pollicita eſt miſeris quietem.
Quae vel per omnis aequoris impetus
Jactata, nunquam victa laboribus
Emerſit, en felix ſubit nunc
Oſtia tuta tenetque portum:
Nec viperini terga voluminis
Nugaſque, verum ſed Medicum tibi
Exponit advectum, petitamque
Urbibus, & populis ſalutem;
Qui ſigna paſſim tollere vulnerum
Et fronti inuſtas approperet notas;
Quae decoloravere pulcram
Italiae faciem venuſtae.

Jam

Jam criminosis Principibus modus,
Tamque obstinatis seditionibus
Ponenda finis; mens Leonis,
Sanguineum prohibere bellum:
Seu Gallia omnis, sive Britannia
Tota, inquietus seu strepit Adria
Fluctusve Iberus, seu superbit
Sarmatiae imperiosus aestus.
Exsurge Virtus inclita, & o pii
Prodite mores, vos Leo, vos favor,
Quem mente tota olim petistis
Evocat, & precium laboris.
In circo honesti ponit, ut omnium
Mens excitetur; nemoque inaniter
Sudabit hic; utcumque fessus
Jamque animet sua quemque virtus.
At literarum o praesidium, o virum
Decus bonorum, si tibi maxima
Rerum potestas; sique habenas
Suppositi moderaris orbis;
Si mille jam sunt nomina, milleque
Artes juvandi, vive Pater diu.
Hoc nos precari ex corde quimus;
Tu facere, & superare vota.

D. PETRI CATHEDRA.

AT surge tandem, surge age: nam satis
Superque natis Antiochi datum.
Hinc Christianum exstare nomen
Sancte senex Galilaee Simon.
Quid hic moraris? quid teris otia
Te jam Seleuci regia non capit
Non Laodiceae feraces

Aut Asiae, Syriaeve campi
Majora jam te tam celebrem vocant
Momenta rerum : te Capitolium
Arcesque septem, te universus
Orbis ad imperium requirunt,
Cui nosse caeli Numina corpori
Inserta nostro est ante alios datum;
Arcana qui Divum expedita
Voce, palam, intrepide revelas:
Qui nulli amando cedis; & impiger
Devota morti pectora liberae
Offerre, tortorem cruentum
Pro Domino impavidus subire.
Ergo hic docebis, quae via, qui tenor
Vitae supremos evehat ad Deos:
Mortale nil cognosse; amare
Quae Superi docuere tantum.
Insanientem sic sapientiam
Demolieris, & scelera, & dolos;
Morumque, virtutisque verae
Perpetuam hic statues cathedram
Nos hanc Sabaeis undique odoribus
Fusam quotannis devenerabimur
Ad templa Vaticana, Romae
Quae pietas tibi dedicavit.
At tu, tuis pro supplicibus, Deum
Cui semper adstas assiduus comes
Pacem, salubremque aerem ora
Auspiciis ineuntis anni:
Ne verberentur grandine vineae;
Ne mentiatur fundus inaniter
Cultus, nec arva, agrosve iniqua
Sidera torruerint faveto.

AD PHIL. BEROALDUM JUNIOREM.

AT prodi e caveis Philippe prodi.
Formica latebrosior fugaci,
Formica macilentior pusilla,
Formica improbiorque avariorque,
Qui nempe unus ab omnibus vocatus
Quidquid Roma habeat boni, probique
Id totum tibi vis, & aucuparis.
Sed nihil hactenus esse te assecutum
Prorsus credideris; nisi Hadriani
Quid in Mole sit optimum requiras.
Nummos Julii, & aurea illa vasa,
Atque argentea, mittimus; facessant,
Argento tamen aureisque mensis,
Quas Mentor poliisset invidendis,
Quod ducas preciosius. quid? inquis.
Poscit te pater elegantiarum,
Et risus pater, & pater Leporum
Antistes meus optimus sacerdos,
Princeps optimus, optime eruditus.
Et hunc negligis & fugis miselle,
Sed nil proficies: fuge huc, & illuc;
Tanquam sepia falle & hunc, & illum,
In cryptis lateas Sebastianis,
Aut in fornicibus sub urbe caecis,
In casses tamen incides paratas.
Quaqua, & undique namque, & hic, & illic
Instar Pierius, pedumque signa
Servat cuncta, oculatus; atque odorem
Sectatur canis optimus: trahet te;
Traxit qui similes tui, Camillum,

Et

Et Phoedrum, & Petrosanctium, & Capellam;
Quin Bembum, & Sadoletum. age ergo prodi.
Ne, quem dicimus, & fatemur omnes
Tam salsum, lepidumque, & elegantem,
Tanquam debitor execratus, alto
Portae in limine pendeas, lituris
Uncialibus omnibus legendus
Pro insulso, illepido, atque inelegante.

IN DIVI PETRI MARTYRIUM.

TANDEM, sollicita quod prece poscere
Assuetus fueras; gratus adest dies;
Pro Christi liceat nomine ut emori
Quibusvis cruciatibus.
Quem non proposita in morte ferocia
Regum terruerint verba minacium;
Quamvis Discipuli commoneant pii
Declinare periculum.
Saevit vipereo corde ferus Nero,
Virtutum hostis atrox, hostis atrox Dei,
Et vel vincla parat, vel gladios truces
Aut ignominiam crucis.
Tu Cletum, atque Linum moribus instruis
Divinis: obeant munia, onus ferant
Sacrorumque vices ordine, quem tibi
Divum constituit pater:
Clementemque itidem Pontificem creas
Qui pro te populum absolvat, & obliget;
Qui pro supplicibus gentibus hostiam
Laudis, sacra, preces, ferat.
Mox quod supplicii quaesieras genus
Affixus crucibus vertice ad infera

Summisso, pedibus sidera ad aurea
Elatis, moreris libens.
Sed quorsum Pater haec, tali animo, & fide
Tanta pertuleris; si genus impium
Divina imperium vocem datum tibi.
Qua qua est terra habitabilis,
Tam foede inficiantur? Capitolium
Intra te cohibent; in reliquos Patri
Jus nullum esse : sibi autem licita omnia,
Cera ut Cerite liberis.
Si mysteria libi, atque meri, piis
Consecrata labris, pignora Numinis
Aeterni abstulerunt, hem scelus, & negant
Verum inducier in Deum?
Si vitam scelus est ducere caelibem,
Et siqui egregio proposito probi
Duram praetulerint pauperiem bonis
Aut Croesi, aut Halyattici;
Contenti in tenui veste cupidinem
Contraxisse, procul luxu, & amabili
Convictu genitorum, atque sodalium;
Stultos inter habent locum?
Non jejunia, non parcere crapulae,
Non fraudare cibis luxuriantibus
Vitam; nequitiae quippe licentiam
Erenare, esse putant pium.
Virgo sepositis in penetralibus
Se si qua abdiderat; vincla jugalia
Aversata, Deo dedita, pectore
Sincero, atque animi integra.
Difractis adytis in medium hanc forum
Abductam expoliant, velaque detrahunt
Sacrata & thalamos, flammeaque, & faces

In-

Inceſtas adigunt ſequi.
Siquem pro meritis Concilio Deum
Et ſtellis pietas priſca, vel inclytae
Virtutis precium, gloriave intulit
Aſpernantur, & expuunt.
Non ullum tibi, non Paullo etiam decus
Decerni, aut aliis Martyribus ſinunt,
Vel dici Aonio carmine quempiam
Feſtoſve inſtitui dies.
Non patrociniis horum adhibent fidem:
Sacra oblata, preces, votaque pernegant
His concepta; bonos ducere ad exitus;
Nullum hinc praeſidium piis:
An his deterius quidquam & atrocius
Fecere indomiti Regum animi, furens,
Cum Dementia, tanti ſibi Numinis
Cultum evertere finxerat?
Atqui haec tincta ſacro flumine gens quidem
Et Chriſtum ore fatetur, ſed opus tamen
Omnes Daemonii peſſimi amant, nefas
Deteſtabile, & horridum.
Haec indigna precor reſpicias, pater
Atque his pone modum ſeditiosibus:
Illis vel redeat mens bona, vel lare
Sit noſtro procul haec lues:
Nos feſta memores fronde domum ſacram
Delubrumque tuum; quantus erit dies,
Cingemus; tibi laudes, tibi carmina
Dicturi ad citharae modos.

MARCELLI VESTRII

DE FOEDERE IN TURCAS.

HACTENUS adverſo creſcentes Marte ruinas,
Civicaque ad moeſtos flevimus arma rogos.
Flevimus: at ſanctis humiles quas fudimus aris,
Non ſprevit ſurda Jupiter aure preces.
Nunc ineunt noſtri ſocialia foedera Reges,
Nunc & in Aurora debita bella movent.
Ite procul curae triſtes, procul ite querelae,
Ite per Agaeas, quas tenet hoſtis, aquas.
Ite: Pius pia Vota facit, prece numina flectit,
Et primas acies ab Jove primus habet.
Magnanimi Heroes Divum genus aethere miſſi,
Scilicet ut mundi ſuſtineatis onus,
Nunc o nunc alacres feſſo ſuccurrite Saeclo,
Quo princeps hominum, quo Deus ipſe vocat.
Quid non ungue ferit, roſtroque inſurgit acuto
Aligeras inter fulmine major Avis?
Cur non illa ſuis Jovis omine remigat alis?
Cur non illa ſolo ſaevit, hiatque mari?
Cernite ut indomita Leo Martius aeſtuat ira?
Ut ferus ore fremit, ut ferus ungue petit?
Ut tumet, ut magnis terret clamoribus indos?
Ut Numidae, ut Thraces, ut pavet omnis Arabs?
Quam bene uterq; poteſt communẽ inſurgere in hoſtẽ?
Imperat illa avibus, imperat iſte feris.
Illyricis ſciet illa plagis avertere Turcas,
Hic rurſus Cyprias ſcindere victor aquas.
Illa feras acies & fulmine perdere turmas,
Hic ponto Libycas pone fugare rates.

Nunc

Nunc etiam Adriaco Rex labitur aequore Iberus,
  Surgit & in fortes fortior ense Scythas.
Magnis major avis hic sceptra tyrannica vertet,
  Evincet patrium restitu etque decus.
It Solymae sedes, & divitis ostia Nili,
  Servili eripiet sub pia signa jugo.
At tu devictaque Asia, Libyaque subacta,
  Europae exitium, dire tyranne, paras?
Ausus & immensas obsidere milite terras?
  Ausus es aequoreos classe ciere Duces?
I nunc Hesperiae vires & robor utrunque,
  I nunc Austriacos experiare viros.
His enim auspicibus terris te Jupiter arcet;
  Infernique adiget guttura in ima canis.
Desine lunatis ah demens fidere peltis,
  Illa nec ostenta barbara sceptra manu.
Quid forti tibi milite opus, quid classe, quid auro?
  Quid frustra in sanctos induis arma Deos?
Christe Pater, Christique cohors, qui sanguine vestro,
  Nos inmortali restituistis hero;
Vosne pati, nostris nec pellere finibus hostem?
  Et tolerare dolos nec prohibere nefas?
Non ego vos sarcire peto, quae crimina nobis
  Damna ierunt: culpam poena secuta luat.
Vos pietas, vos sanctus amor, vos gratia, vos &
  Ah moveat spreti splendor honosque poli.
Foedifragos Stygio sub carcere poena tyrannos
  Non ullo maneat non lacrimanda die.
Nec posthac malus ille fidem contemnat, ut hostem
  Aut perjurati rideat arma Dei.
Adspicite, ut pergat regales caedibus urbes,
  Et Cyprum extinctis expoliare viris.
Et geminare neces, praedasque augere triumphis,

Et pia sacrilega templa abolere manu:
Ut scelus intactum furor improbus iraque nullum,
Liquerit, in vestras ut mala nulla domos.
Ah dolor ! omnipotens rector vos deseret Orbis,
Servitium nobis dum grave Turca parat?
Non ita: dat nobis in aperta pericula vires.
Scilicet & vinci nescia corda Duces.
Ergo vos animi reges armisque favete,
Non sint in miserum foedera sancta jocum.
Aeolus aspiret vobis, & servet euntes.
Victores patrio restituatque lari.
Vos gravibus terras & pontum solvite curis:
Solvite solicito saucia corda metu.
Nec vos horrifico turbent stridore catervae:
Non multo classis milite & aere gravis.
Auguror: ardentes hostem Orcus tradet in amnes:
Haec erit irato praeda opulenta mari.
Nil desperandum: quae jam cecidere resurgent,
Et quae creduntur non peritura, cadent.
Nuper fatales quis non defleverat annos?
Quis non supremum viderat ire diem?
Hispanum in Regem Rhenus tulit arma rebellis,
Discors se proprio sanguine tinxit Arabs.
Insanis Galli deflagravere ruinis,
In mare praefluxit sanguinolentus Arar.
Caelo labentes flammas videre Suevi,
Crevit tabificis turbidus Ister aquis.
Edidit Eridanus vasto grave murmur hiatu,
Et moto insonuit contremuitque solo.
Flava Ceres stipula messes elusit inani,
Et tellus gravidos clausit avara sinus.
Haec sunt signa diem extremam minitantia: fient
Nostra tamen positis aurea saecla malis.

Et

Et dives pleno veniet concordia cornu,
Laurigeraſque oleis pax redimita comas.
Tunc dape ſolemni, tunc carmine quiſque per aras,
Reddat odoratis vota preceſque locis.
Gratia tota Pio, per quem diſcordia cedit,
Per quem placato cedit & ira Deo.
Vive diu, mundumque diu, *Pie Quinte*, guberna,
Serus & aeternis reſtituare choris.

POMPEII UGONII

DE VICTORIA NAUPACTIACA.

CAESARIS invicti prolem, domitumq; canamus
Nerea; & addictum noſtra ſub arma fretum.
Martis opus moveo: belli, tuba Martia, ſignum
Intonet; ex humili ſurge age Muſa ſono.
Quis ſcit an haec ſummi veniant in Principis ora,
Perque ducum volitet pagina noſtra manus?
Tale decet docto tenuari pectine carmen,
Quale *Pius* nutu *Quintus* hiante probet.
Quo procerum hybernis reſonent ſub pellibus aures
Sive tuae *Auſtriade*, ſive *Columna* tuae.
Majus onus certe, majoraque viribus auſa:
Sed ſors audenti Calliopeque favent.
Nec ſemper ſaxo fiunt delubra vetuſto,
Stant etiam magno parva ſacella Deo.
Et pauper cui nulla nitent aulaea ſacerdos,
Feſta luce humili limina fronde tegit.
Sic ego victrices in praelia ducere turmas,
Ordiar, & forti ſigna ciere tuba.
Ut ſi quis, nimium tantis es laudibus impar,

In-

Increpitet, possim dicere : pauper eram.
Qualis erit sed cumque mihi sonus, annue Phoebe,
Detque bonum coeptis dextera carmen avis.
Quis veteres Argos, Menelaaeasque Mycenas,
Quis nescit portus alta Corinthe tuos?
Hic angustus ubi geminum mare dividit Isthmus,
Naupacti excepit barbara vela sinus.
Improbe, tune sinus Diis es renuentibus, ausus
Praebere infidis navibus hospitium.
Nonne sub aequoreo tremuerunt marmore Nymphae?
Nonne vagi fluctus tunc retulere pedem?
Haud impune tibi tantum scelus improbe abibit;
Vexabunt litus flabra sinistra tuum.
Ceteque, & dirae pascent sub gurgite Phocae,
Quotque natant vasto turpia monstra salo.
Solvisti tamen hinc pleno ratis impia velo,
Impia; sed fatum non erat unda tibi.
Te fuga, te ferrum, te missa ex aere manebant
Fulmina, & Austriaci vivida dextra ducis.
Ille quidem remo classem propellit in altum,
Et flatu adverso prona subit maria.
Leucates cupido respectat lumine colles;
Et merito : felix hic locus omen habet.
Mox Ithacam, & celsam praetervehitur Cephalenem,
Et quaedam angusti brachia curva freti.
Hic primum pelago frondosa Zacynthus aperto
Explicuit nautis Pontica lina piis.
Nec mora; cum toto diffunditur utraque classis
Aequore : remigio caerula pulsa sonant.
Aequatis acies procedit Barbara velis,
Et tercentena fertur in arma trabe.
Parte alia obliquum se circumflectit in arcum
Dispar, sed Christo vindice freta, ratis.

Lae-

Laeva tenent Veneti, dextrum rapit Auria cornu;
Radebat medium Regia puppis iter.
Impiger Auſtriade, magni germane Philippi,
Quis tibi tunc ſenſus, quantaque cura fuit?
Eventus belli varios ſub corde volutas,
Pluſque pio generi quam tibi ab hoſte times.
Stat conferre manum, ſtat credita ſigna tueri;
Caelo animam, rapidis fluctibus oſſa voves.
Has pater, atque alias jactantem pectora curas
Aetherea laetus Carolus arce videt.
Nube ſuper fulva, caeli glomerante corona
Sedit, & Joniis lumina fixit aquis.
Hinc oculis ardet proprios haurire triumphos,
Et non tum primum gaudia viſa ſibi.
Namque animae indigetes, aeterni in veſte Tonantis,
Quae ſunt, quae fient, quaeque fuere legunt.
Nequa tamen nati turbarent omina mentem,
Converſos hoſti jecit in ora Notos.
Mox ait: o ſummo nimium dilecte parenti,
O nimium fauſtis edite ſideribus,
Sanguis vince meus, Chriſto duce, & auſpice Chriſto;
Candida neverunt hunc tibi fata diem.
Nec metam poſuere tuis hic nate triumphis;
Devicto tellus eſt peragranda mari.
Nam fore te ſtabili cecinerunt carmine Parcae,
Ultima cui vinctas porrigat ora manus.
Te, Regum aeratis oneres qui colla catenis,
Et figas Chriſti toto Oriente crucem.
Tu modo fide Deo: rurſus victricibus armis
Jonii releges aequora nota ſalis.
Hinc Rhodon, hinc Seſton, mediaeq; Propontidis urbes
Adiicies ſacri finibus Imperii;
Inter quas Selymi dices tibi procidet aula;

Sub-

Subtrahat extremo ſe licet illa mari.
Jamque age, pelle moras: ſpatia in ſua quiſque recedat;
  Vertitur hoc uno publica Marte ſalus.
Parce metu; committe acies, tibi Nerea findit,
  Praeda tua eſt, contra quae movet arma ratis.
Vix ea, cum ſubito caelum ferit aerea moles,
  Litoraque ingenti pulſa fragore tremunt.
Ingeminant ictus, fumo ſubtexitur aër:
  Hei mihi quam crebris ignibus unda micat!
Caeſareus juvenis primis ſtat ſaevus in armis,
  Totus & argento, totus & aere nitet.
Qualis ad Actiacas felix Octavius undas
  Reppulit Auſonia barbara ſiſtra tuba.
Obvius haud illi quiſquam ſe impune ferebat;
  Aut perit, aut ſupplex corruit ante pedes.
Fulminat in mediis exerto Antonius enſe,
  Cernis ut Hectoreum fundit ab ore jubar?
Quem primum, quem poſtremum, fortiſſime, letho
  Deiicis? ah nimio dextra cruore madet.
Quocunque intorques oculos, huc protinus illuc
  Scinditur, & retro turba profana ruit.
Te quoque permiſtum multa inter millia noſco
  Ghisleri tinctas ſanguine ferre genas,
Quis juxta puer ille? viden quam ſaevit, & inſtar,
  Dura nec imbelles atterit haſta manus?
At membris animoque ingens; abſcedite, Paullus
  Inveniet ferrum denſa per arma viam.
Sic ait, oppoſitumque globum proterret in aequor,
  Inferat ut Geticae Romula ſigna rati.
Stat celſa in puppi, prohibetque Venerius hoſtem;
  Plurimus irati Martis utrinque furor.
Heu rapit, infelix te Barbadice ſagitta;
  Illa fuit Stygio tincta ſagitta lacu.

Ter-

Ter gemini occumbunt fratres Cornelia proles,
Tuque Maliperi, tuque Soranze cadis.
Quid referam, ut medios ſeſe moritura per enſes
Coniiciat niveae pulcra caterva crucis?
Utque premat curvo palantes Auria gyro,
Contenta jaculans flammea tela manu?
Qualis & Aſcanius ſtrictum procurrat in agmen,
Canum fulgenti conditus aere caput:
Feltrius hinc heros, illinc Farneſius urget:
E heu ſunt illis vulnus, & ictus idem.
At tibi Barbaricae, Pompei, dant terga phalanges;
Proſper in hoſtilem dirigit arma globum.
Nec vos tranſierim generis decora alta Sabelli;
Illa ſago domus eſt nobilis, illa toga.
Adſpice uti patriis exultat Honorius armis,
Telorum & ſpiſſo tutus ab imbre redit.
Vincendi comites nimia dulcedine capti,
Ex acie referunt vulnus uterque ſuum.
Parma ubi nunc Juli? tua nunc ubi Troile parma?
Strinxerunt vobis ſpicula dira latus.
Ecce mihi Rhodia lucet crux aurea puppi;
Puppis Honorati non tulit illa manus.
Dux mileſque ſimul diſponit Gabrius agmen,
Martis & infeſti caeca pericla ſubit.
Ardet Sfortiades, lucemque coruſcat ahenam:
Ejus ad obtutum Thrax, Numidaeque pavent.
Quid comes Aeneas? quanta ſe caede cruentat?
Barbara quot ſalſis corpora mergit aquis?
O gemini Heroes, quam laeto curritis ambo
Omine! quam fauſta bella movetis avi!
Martia te tellus, animoſique ira Leonis
Sfortia victrici mittit in arma manu.
Herculei Aeneas jactat ſe Tiberis arce,

Quae-

Quaeque gerit, patria pro Cruce bella gerit.
Instant Gonzagae, mediisque in millibus ardent;
Instant Euganei, Felsineique duces.
Ursini proceres, hac acer Horatius urget;
Hac ruit, heu laevo sidere, Virginius.
Te flos Hesperiae sequitur, ter maxime Ductor,
Flectentem externos sub juga nostra duces.
Praedonum scelerata manus demittitur Orco:
Jonio Lunae cornua fracta natant.
Vix grege de tanto, paucos Mars liquit, ahenis
Quorum sub nodis brachia torta sonent.
Inter quos Regum pueros adstare superbos
Et video invitos aspera vincla pati.
At Calaber (neque enim superest spes ulla salutis,
Et pila vesanum torquet adacta femur)
Vidit ut exutis aciem inclinare Carinis,
Vela dedit turpi protinus ipse fugae.
Non ego, non miror te si, Sultane, fefellit;
Prodiderat patrios perfidus ante focos.
Prodiderat Cristique Crucem, Christique cruorem,
Quique liquor veteris crimina tergit avi.
Illum debuerant fallaces prodere venti,
Sentiret fraudes auctor ut ipse suas.
Perfide non poteras avidas te mittere in undas,
Atque animam medio ponere in Oceano?
Non poteras aliquo sub noctem impingere Yaxo,
Sive ea sublustris, sive ea caeca fuit?
Tu saltem adducto profugum Neptune tridenti
Concuteres fractam disiiceresque ratem.
Nunc tamen, ut celeri liceat fugisse biremi,
Illum etiam quondam poena luenda manet.
At tibi, magne Austri, claro Victoria coelo
Lapsa, triumphali signat honore comas.

Vin-

Vincis, io, Chriſtique fide, votiſque Piorum.
  Et niveis magni Caeſaris alitibus.
Idalius caelo vix dum rubet Heſperus, & tu
  Bis centum ad proras lintea capta trahis.
Extulit os undis Proteus: victricia Nimphae
  Gaudent appoſita tangere roſtra manu.
Quos plauſus, quas o circum luſere choreas,
  Quos tibi nocte illa concinuere modos?
Perge agedum, quo fata vocant, quo candidus aether:
  Militat Oceanus, militat aura tibi.
Vere ineunte novo pennis, Zephyriſque ſecundis,
  Laetus ad Iſmarios carbaſa tende ſinus.
Auguror; augurio laevum Deus intonet: en en,
  Signa dedit ſupera mitis ab arce Pater.
Nec tibi ſe adverſis Pelopis domus offeret armis,
  Nec circum Aegaeo moenia tacta ſalo.
Excutere inviſas praegeſtit Graecia Lunas,
  Totaque ſub titulos ſponte venire tuos.
Si cui violanda fides, violanda tyranno;
  Sed priſcis cur eſt illa vocata fides?
Nulla mora, hibernae capies Athamantidos arces,
  Et Conſtantini protinus imperium.
Ante tuas Aquilas Reges volventur Eoi;
  Ante tuas Aquilas ultima Bactra cadenr.
Et qua lenta gelu tellus, & qua uſta calore,
  Suſtolles diae ſigna colenda Crucis.
Illi longinquae gentes ut thura vaporent,
  Et flexo diſcant oſcula ferre genu.

BERNARDINI PARTHENII SPILENBERGII CARMINA.

AD PIUM V. PONT. MAX.

QUALIS rigenti cum Boreas plaga
Lapſus ſonanti flamine trux gemit,
Silvae comantes cum laborant,
Et volitant ſegetes revulſae;
Terramque inertem atque alta Ceraunia
Dextra rubenti e nube Dieſpiter,
Molemque Olympi corruentis
Et rigidam Rhodopem fatigat:
Sternuntur altis ſedibus oppida,
Turreſque pronae, moeniaque ardua,
Urbes ſuperbae procidentes
Terrificis recubant ruinis:
Inſurgit imo e gurgite, & igneis
Infertur aſtris indomitum mare;
Fervens procellis, hinc dehiſcens
Terra labat, trepidantque manes:
Se tale, terras ah miſeras parat
Efflans venenum vipereum, truces
Denteſque obarmans e latebris
Threiciis furiale monſtrum.
Attollit iras, ob Meliten fremens
Siccis cruore faucibus; incubat
Germaniae amens, & patenti!

Di-

Diluviem meditatur orbi.
Auditis auras horrisonas, cavas
Vallesque equorum dira frementium
Hinnitibus terreri acutis,
Sub pedibus reboante terra?
Portenta foeda haec barbaraque agmina,
Molem hanc nefandam Caesaris in sacrum,
Labi feremus proruentem
Cum sonitu caput immerentis?
Vos, queis secundo numine rex poli
Frenare bellacem Italiae dedit
Gentem, nec unquam saevientis
Turbinis imminuit procella;
Quid tot, quid atro scabra latent situ
Arma? indecori quid male conditi
Enses? quid hastae, quid minaces
Vulnificaeque jacent secures?
Deses juventus indocilis jugo
Cessas? aviti nominis immemor
Juventus, Auroram Occidentemque
Hesperiis opibus subactum?
Iram cruenta progenitam Styge,
Cognataque arma & sanguine civico
Enses madentes irruentem
Vertite funereum in tyrannum.
Ductore rerum ac praeside Caesare
Armate dextras, dum licet: ignum
Regnis superbis imminentum haud
Degeneres prohibete flammam.
Quis vel furentem Centimanum horreat,
Lernaeve monstrum, principe Caesare
Ducente fulgentes cohortes
Auspiciis Superum secundis:

Vultum aut ſupremi non timidus patris,
Vultum tremendum ferre quis audeat?
Quem Styx, & ultricum profana
Eumenidum ſtupuere corda?
Cum regna Ditis, cumque adamantina
Perrupit atri limina Tartari,
Scyllaſque terrens, Gorgonaſque, &
Foeda modis ſimulacra miris.
Eludet auſum is, ceu ſtipulam levem,
Injurioſi quam per inania
Jactant fatigantes, ſibique
Ludibrium poſuere Cauri.
At te, corona cui triplici caput
Late refulget, quem Superi novum
Ut ſidus afflicto & labanti
Praeſidium poſuere ſaeclo,
Te juſta in hoſtes ira ferat truces;
Quando ad Deorum hos ambroſiam vocas,
Hos condis Orco, exaeſtuans qua
Saxa ciet Phlegeton ſonorus.
Exſurge, dextram tolle tuam *Pie*;
Reges ſequentur numen, ut efferum
Monſtrum reformidet, ruantque
Praecipites Babylonis arces.
Nomen tyrannus tollere ferreus
Chriſti laborat, ſacra recondita
Delere patrum, atque acta avorum
Perpetuis abolere faſtis.
Invicte Caeſar, ſemideum genus.
Spes orbis, unum quem dominum fremunt
Gentes, & Europe ſolutis
Crinibus illacrymans repoſcit;
Aude tumentes auſpicibus minas

Ar-

Arcere Divis, maxime gentium
 Custos; trabales & cathenas
  Excute terrificum minantis.
Votiva sanctus en socialia
Ad templa Divum sacra facit pater,
 Restinguat ut virus nefandi
  Mortiferum penitus colubri.
Passim canentes virginei chori
Laudem Tonantis, dum omnia odoribus
 Halant Sabaeis, Regem Olympi
  Sollicitis precibus fatigant.
Auctore tandem hoc consilio & pari
Juncto, timendum? dum excubias agit
 Pastor, laborantique ovili
  Conciliat superum parentem?
Vindex venenis spicula Colchicis
Armata franges, scutaque ahenea
 Arcusque aduncos; dissipabis
  Victor Amazonias pharetras:
Et mox opimis te spoliis ferox
Votis solutis flos Alemaniae,
 Victrixque onustum te Vienna
  Accipiet reducem triumphans.

AD MAXIMILIANUM CAESAREM.

INGENTI quamvis Regnorum mole labores,
 Et premat Europae ditis, & Orbis amor;
Exundansque fremat circum Germania, Rhenus
 Qua geminis findit cornibus arva minax;
Vistula quaque alto se tollit flumine, quaque
 Extremis Aquilo fertur Hyperboreis:
Cum modo te auratis spectandum fortiter armis

Miratur belli Martia turba Deum;
Seu ducas aciem, & fortes in bella cohortes,
Cum trepidant gelido pectora pulsa metu;
Seu quatias validas tormento, ac viribus urbes,
Omnia cum terra subsiliente tremunt:
Et modo circumstent populi, tibi publica vota
Dum solvunt urbes, & pia sacra canunt;
Ne tibi longinquis veniunt quae carmina terris
Garrulave imbellis despice fila lyrae;
Seu pacem mitis colis, & tibi tradita Jani
Aeterna claudis limina ahena sera;
Sive juvat sacra redimitum tempora lauro
Musarum in dulci te requiesse sinu:
Nam te quis positis armis & Gorgone, nescit
Fortia Pieriis corda levare modis?
Et gelidis gaudere umbris Heliconis amoeni,
Et canere ad sacrae grandia murmura aquae?
Felix, cui Mavors gentes frenare superbas,
Spernere & obstantum tela cruenta Ducum;
Cuique dedit cithara aurata formosus Apollo
Pieridum in dulci personuisse choro.
Infelix at qui Musarum & Apollinis artes
Oderit; invisum hic se sciat esse Jovi.
Trinacriae idcirco urgetur sub mole Typhoeus,
Dum gravis horrificis aestuat Aetna modis.
Gaudentem at blanda cithara, fidibusque canoris,
Elysiae mulcent arva beata plagae
Musaeum, media in turba dum pectine eburno
Suspensa ex alta lumina turre canit,
Et medias puerum properantem currere in undas;
Hellespontiacis qua mare fertur aquis:
Prospiciens virgo specula ut suspiret ab alta,
Dum vigilans niveo pollice versat opus.

Im-

Immitis Borea, raptae immemor Orythiae;
Dum properat, saltem parce puella rogat.
Vana petit; surdis resonant vada salsa procellis,
Palleat ut celso Parrhasis ursa polo.
Ille canit, pulsae laetantur carmine valles,
Sistitur Elysium quae colit aura nemus.
Dulcia ter salvete sacrorum carmina vatum,
Et mihi culta diu numina Pegasides,
Lenta soporifero nescit vos flumine Lethe;
Vos Divum caelique aurea templa juvant.
Vos superos canitis: Stygias vos carmine nunquam
Ulla exoratas frangitis arte fores.
Tergemini Odrysio canis ora inhiantia vati
Clauditis, Ismariam dum ferit arte lyram.
Tartareae stupuere domus, rota constitit, angujum
Illigat Eumenidum squamea membra sopor.
Sistere Musa potest ventos dextraque potenti
Excutere irato tela trisulca Jovi.
Cecropio reges exornat Musa cothurno,
Et tollit grandi fortia facta pede,
Austriadum illa canit aeternae in saecula gentem,
Heroas veteres, semideumque genus:
Bellaque tot Divum auspiciis confecta secundis,
Claraque tot forti parta trophaea manu.
Illa canit victasque urbes, populosque superbos,
Regnaque in ignotis subdita littoribus.
Illa canit fulvo insignem diademate frontem,
Plaudit ut Augusto maxima Roma suo.
Pergite Pierides, nova carmina dicite Regi,
Victricesque nova cingite fronde comas.
Ille decus servat vestrum, profugasque potentum
Liminibus largo vos fovet ille sinu.
Ille dabit citharam collo suspendere eburnam,

Et canere Aeoliis orgia vestra modis.
Utque unus victor spolia illa Feretria tentet
Ad Capitolini tollere templa Jovis:
Atque hostem Europa arcere, exuviasque cruentas.
Raptaque de victo terga Dracone paret
Diripere. alipotens aderit Jovis armiger uncis
Unguibus, & Zephyris dissoluisse dabit;
Cum late Euphrates demissis cornibus ibit,
Et fremet iratis turbidus Indus aquis.
Aurorae illi cum Reges fulgentia cedent
Armaque cum gemmisque aurea sceptra suis.
Praeterea late devictis undique terris,
Serviet ut regi Tethyos unda suo:
Nilum ultra Gangemque Hypasinque & littora rubra,
Quaque jugo Taurus Caspia regna premit.
Centum aras, centum fulgentes aere columnas
Constituet patriis grandia dona Deis.
Auspice te, memoranda canam: tu maxime Caesar,
Aurea ne spernas munera Pieridum.
Illa tibi sine fine parant producere vitam
Sedula, & aeternas vincere Olympiadas.
Illa tuam properant stellis inferre coronam.
Cui nitido invideat pulcra Ariadna polo.
Roma potens, magno jam nunc gratare nepoti,
Aurea qui pulso saecla adamante refert.
Exoptata redit libertas: omnia passim
Pax habet, & concors gratia, Amorque vigent.
Laeta Ceres flavis insignis tempora aristis,
Effundit pleno dona beata sinu.
Iccirco in teneris herbis operata juventus,
Cantat ad agrestes, rustica turba, Deos:
Teque vocat mensisque adhibet te in vota secundis;
Inceditque tuis thurea dona focis.

Tu-

Tuque parens Regum, populiſque opibuſque ſuperba
  Pacis amans, eadem Marte, Vienna, ferox,
Aeternum ſalve, imperii Regina potentis,
  Quam Scytha,quā dominam Bactria regna tremunt:
Quam tot commendant tituli, tot fortia facta,
  Et decorant veterum tot monumenta Ducum:
Pax te alma, & populi foveat concordia: vobis
  Devolvat rutilas aureus Iſter aquas.
At tu, quem volitans tollit fulgentibus alis,
  Ignotos ultra fama Boryſthenidas.
Qui te Diis miſces paullatim, atque inſeris aſtris;
  Pacis honos, durae gloria militiae,
Mactae animo & virtute, diu Rex Maxime vive,
  Principe quo mundus ſoſpite ſoſpes erit.

AD EUNDEM. DE VICTORIA ADVERSUS TURCAS PARTA.

NON fronde Phoebi, aut verſicoloribus
  Spectanda pennis; palma at Olympica
  Inſignis, auro, lucidiſque
  Calliope radiata gemmis,
Heroas inter ſemideos; nigras
  Oblita ſilvas Phocidis, & leves
  Pindi ſuſurros, ſueſce Regum
  Sedula liminibus potentum.
Tu vellis altis montibus erutas
  Quercus canendo, tu rapides lyra
  Ventos, & abruptas procellas,
  Praecipites remoraris amnes.
Te horrent loquaces Pierides, novas
  Plumas amictae, teque Acheloidum

Proles reformidat volucrum.
Puniceo ſpoliata dorſo.
Quod longe Iberus, quod Tiberis pater,
Atque alta lato cincta mari urbium
Regina miretur triumphans,
Perpetuum meditare carmen.
Montes niveſque tranſvolet, & ſacra
Vox ad profundum Danubium omnibus
Centum ſonantem, divitemque
Barbaricis properet triumphis.
Gratare Regi Caelitum, & aures
Incende templis pinguia munera,
Thuriſque Oronteoſque odores,
Divitiaſque Arabum beatas.
Admovit aurem rebus in aſperis
Votis, nitenti ac lumine conditor
Caeli refulſit, protinuſque
Exoriens pepulit tenebras:
Delevit ultor vindice dextera
Claſſem Tyranni funditus, & rates
Male ominatas belluoſo
Subruit Jonii profundo:
Monſtri furorem luſit, & impias
Portare ventos ſpes jubet irritas,
Terro irruentis mox cruore
Caeruleas tepefecit undas.
Qualis leaena marmarico e ſpecu
Obſcaena caedis quam ſtipulat fames,
In nos ferebatur tremendo
Dente fremens periturus hoſtis;
Stridens Lybiſſam hunc ſed veluti Notus
Difflat arenam, aut Africus impotens
Frondes caducas, laborantem

Tur-

Turbine diripuit tonanti.
Ergo sonoris omnia plausibus,
Et laeto eburnae carmine tibiae,
Collesque, pulsataeque valles
Laudibus aeriae resultent.
Lux e tenebris fulsit amabilis
Soluta vinclis crura tenacibus:
Natis parentes, rursus aegro
Pignora restituis parenti.
Terrae, polique ac rerum opifex sator
Divum, procellis cui Boreas furens
Nubesque patent, fulminantem
Quem Stygiae trepidant sorores.
Avertis altis culminibus faces.
Bombos ahenos turribus arduis;
Raptus nefandos, ac profanis
Relliquias manibus Deorum.
Totum hoc supremi muneris est tui:
Tu nos benigno numine protegis;
Tu perdis hostes, obrutosque
Tartareis cohibes catenis.
Laetatur aëther; terra parens novis
Passim renidet picta coloribus,
Nectunt odora tas Napeae
Frigoribus mediis corollas.
Mutatur aetas: ver hiemi vicem
Cedit: tepentis rura Favonii
Foecunda pubenti rosarum
Prole levi recreantur aura.
Frondosa tutae per juga deviae
Errant capellae; per freta navitae
Pacata; tutae per tumultus
Carpathios volitant carinae.

At

At vos; quibus jam vel tripodes ſacri,
Lauruſque victrix, palmaque nobilis
Deuentur Heroes, coronae ac
Gemmiferae radiantis auri,
Poſcente tanto cardine, pergite;
Praeſens ſecundis rite laboribus
Dextra rubenti Caelitum Rex
Dux aderit, animoſus auſpex.
Dirum patenti jam Antiphatem mari
Pulſum, cruento ac milite territas
Replere terras comminantem
Fertilibus prohibete campis.
At tu, tot urbes, regnaque ditia,
Romana quem res poſtulat, annue;
Succurre ſaeclo fluctuanti,
Ambigui reparator aevi;
Invicte Caeſar, maxime Principum;
Cui rerum habenas, atque adamantinis
Firmata clavis promerenti
Sceptra boni ſtatuere Divi.
Ductore quis te, vel profugum Scythen,
MedumqueDacumque,ac Macedum agmina,
Quis vel Typhoeos jam, vel hirtos
Eumenidum metuat colubros?
Reges ſequentur. Te Solime, ac ſacrum
Chriſti Sepulcrum flagitat; hinc diu
Te Memphis, Euphrateſque, lateque
Irrigui tremit unda Nili.
Nunc famam Olympo, ac ſideribus licet
Proferre, terris Imperium ultimis,
Quacunque fluctu inhoſpitalis
Murmurat Oceanus frementi.
Exſurge Caeſar, ſolicitis vigil

Cu-

Curis : ſecundis vela tuis ſonent
Inflata ventis diſſecantis
Navifragum pelagus phaſeli ,
Votis paventis excubitor gregis
Accurret ultro ſupplicibus *Pius* :
Is te triumphali , novaque
Accipiet reducem corona .
Nos dehinc ſuperbis molibus arduos
Tollemus arcus , ſideribus pares ,
Stabuntque inauratae ſub axem
Purpureis maculis columnae .
Hic geſta terra , atque undiſono mari ,
Caelata quondam fortia lubrice
Labente ſaeculo obſtupentes
Magnanimi relegent nepotes .
Suſpenſus alto e fornice acinacis
Et tela ferro fulta Cydonio
Arcuſque pendebunt ſonantes
Exuviaeque Oriente raptae .
Hinc roſtro adunco, atq; unguibus aureis
Ales Tonantis , fulmineo hinc Leo
Et dente frendens , & minaci
Ungue ferox , meditante pugnam ;
Adſtabit , aeriſque increpitans ſonum
Bellona rauci impellet , & horrida
Vultu timendo perſonabit
Sanguineo minitans flagello .
Tonabit aether plauſibus . At miſer
Selimus atro pulvere ſordidus ,
Ad Bactra moerens , Caſpioſque
Vipereo fremet ore demens .

OCTA-

OCTAVIANI
MANINI UTINENSIS
CARMINA.

AD PRINCIPES CHRISTIANOS,
UT OPEM FERANT EQUITIBUS DIVI JOANNIS CONTRA TURCAS.

QUAE vos longa tenet mora Reges? barbarus hoſtis
Urget agens,equiteſque premit terraque marique,
Qui pauci Melitae clauduntur finibus arctis:
Caedibus abſumti plures, dum fortia bello
Pectora barbarico opponunt, rutilantibus armis
Dum nullos ictus, & vulnera nulla feroces
Praemetuunt, non fatum ipſum, dum ſigna tuentur
Inſignita crucis veneranda & imagine Chriſti.
Hoſtis habet primas arces, munitaque portus
Clauſtra ſuo victor numero: inſtantique tumultu
Invicti cecidere viri, nocteſque dieſque
Oppugnati uſque ah miſeri: cecidere frementes
Turcarum quoque jam ipſae acies,pediteſque duceſque.
Quidnam vos tandem exſpectatis? tempora pugnae
Quae opportuna magis,quaenam momenta ſaluti
Sunt magis apta virum,qui templa, Deoſque tuentur?
Si pereant ope nunc veſtra, auxilioque carentes
Egregii bellatores, fortiſſima pubes
Undique collecta, heu quae vos infamia paſſim
Perſtringet cunctos? quae vos maledicta ſequentur?
Quas demum clades: quae damna extrema ſubire
Omnes inviti cogemur? protinus oras

In-

Invadet Siculas, parvo distantia tractu,
Littoraque, & mediis positas regionibus urbes.
Immanis victor Scythica feritate timendus
Sardiniam, Cyrnumque petet. Campania quis te
Proxima defendet? Calabras quis proteget arces?
Daunia quanta tuis tempestas imminet agris,
Quanta tuis Latium? quanta heu tibi Tuscia? clare
Quanta Ligur tibi: ni latum jam classibus aequor
Cuncta tuens comples, & Turcas fluctibus imis
Obruis, hostiles demergens gurgite puppes.
Nec te perpetuo tutam Phaeacia tellus
(Perpetuo tutam cupio) Dominosque potentes
Crediderim: nec, quas longo sua brachia tractu
Adria porrectus tot claras subluit urbes.
Tot claras urbes fallens tentare timebit
Publicus ille hostis, nunquam pacatus, acerbis
Insectans odiis Turca: hanc Dii tollite pestem.
Quare agite unanimes Melitae succurrite cuncti.
Sancte pater, cui relligio nunc credita soli,
Cui pietas, & sacrarum custodia legum,
Tolle moras omnes, obsessosque eripe morti.
Et tu qui imperio flores, Germania summum
Quem colit insignem proavorum stemmate longo
Insignem, domitis tot gentibus, atque trophaeis,
Induperatorum prolesque, nepos que piorum
Immitte infractas in castra inimica phalanges.
Hispani qui tot populos, tot regna, tot urbes
Imperio subjecistis victricibus armis:
Qui non contenti patria, terraque fretoque
Ignotos fines, incognita littora longo
Aequore quaesistis, quaesitas legibus aequis
Formastis gentes Christi, & statuistis ad aras.
Effigies tu vera patris, suprema Philippe

Spes

Spes gentis Christi cultricis, maxima regna
Qui sancta ditione tenes, patiere tuorum
Usque dolos vitae meditari impune furentes
Immanes Aquilone Scytas, & rupibus ortos
Frigoribus duris incultos, moribus aspros?
Nec te immortalis nunc tanget gloria patris?
Quam non ulla dies Letheis obruet undis.
Magna patris magni soboles, jam classibus aequor,
Nec mora longa, novis jam comple, & finibus hostes
Sterne tuis : vel longinquas procul eiice in oras
Attritos alte, & tua jam, quae nescia vinci,
Arma animis positis semper sine fine timentes?
Est Melitae patris munus : nam Carolus olim
Hanc dedit ejectis longo post tempore bello
Turcarum Rhodiis ducibus, magnoque magistro.
Nunc quoque sit Melite munus Rex magne Philippe
Sit munus, Rex magne, tuum, florentibus armis
Militibus nostris, tua quos nunc vivida virtus
Servat ab exitio minitantis dira Tyranni.
Gallorum princeps, Galli proceresque, ducesque,
Invicti Gallorum equites, peditumque manipli:
Excidet exanimis vos Christi insignia primos
Defendisse acres ferro, Solymosque recessus
Infractos penetrare ausos, Sanctumque sepulcrum,
Supremi Regis caeli cultoribus olim
Restituisse piis, spoliis orientis onustos
Non semel in patriam claros retulisse triumphos?
Publica res agitur : Christi est injuria vestris
Ulciscenda armis dubitabitis omnia adire,
Ut vetus egregiae renovetur gloria gentis?
Aequoris Adriaci rectores, edita priscis
Martigenis gens haud ulla mersabilis unda,
Italiae specimen, lux libertatis avitae,

Cu-

Cujus gesta aevo nunquam obscuranda futuro,
Ni vos firma fides servandi foederis arctis
Nexibus obstringit, vestras nunc promite vires,
Quae toties Asiae vastarunt littora, & urbes,
Quae toties pressis satiarunt classibus aequor,
Quae toties sancta pro relligione micarunt.
Vester honos, vestri haec victoria muneris esto.
Quot quot nunc estis dia virtute colendi,
Seu noti ditione patrum, seu fortibus ausis
Seu prope, sive procul, mediis vel finibus orti,
Terrarum, Oceani vel fluctibus interluti,
Si vos relligio, si cultus numinis alti
Permovet, & claris quae debita praemia factis,
Obsessos equites nunc vestro robore fortes
Eripite instanti leto, Turcamque fugate:
Barbarus est fessus, facilis victoria Christo
Auspice, & aeternos victurum nomen in annos.

AD EQUITES MELITENSES.

CAELO alto demissae animae, dignissima caelo
Lux invicta virum, lux nobilitatis, ab armis
Turcarum Meliten quae fortiter ausa tueri
Territa non acie horrenti, non mille carinis
Saevitia aut dira Scythicae impietatis : ab alto
Mirantur superi fortissima pectora, ab alto
Demittent (contemne minas, & barbara tela)
Speratum merito auxilium. victoria tandem
Excipiet fessos, claroque reponet Olympo
Heroas inter, melior quos protulit aetas.
Quod si fata velint patriae pro moenibus acres
Pugnando tantos demum finire labores,
Quid melius, quam pro patria procumbere fortes?

Pro fanis, arifque facris? cui gloria major
Contigit? aut ullo potis eft contingere faeclo?
Victores, victi femper vivetis in omne
Temporis aeterni fpatium : perque ora virorum
Semper honos, femper clariffima gefta fonabunt.

PRECES PRO EQUITIBUS DIVI JO.

OBSESSIS A TURCIS IN INSULA MELITA.

DII Servatores hominum, qui dura pericla
Semper ab innocuis avertitis, illa fupremo
Si pietas caelo quondam bene cognita vivit,
Si virtus, fi cana fides, fi cetera cordi
Sunt benefacta virum, Melitam fpectate faventes
Obfeffam innumeris Europae, Afiaeque maniplis.
Hic invicta manus delecta ex omnibus oris
Conftitit, & fancta pro relligione tuenda,
Pro templis, arifque Deum, pro luce piorum
Excubat & nullis cedit fortiffima damnis.
Sed non denfa choors ceciderunt fortibus aufis
Oppreffi inftantis Turcarum fraude Tyranni
Multi faepe viri, loca dum fibi credita fervant.
Parva manus fupereft cafura heu mole malorum,
Barbarus ah feffos dum nocte, dieque fatigat.
Ille Rhodo clara prius exuit omnia paffos;
Ille etiam Melita coget migrare relicta,
Si modo qui migrent fuperabunt, numine dextro
Caelicolae adfitis reftat fpes una fupremi
Auxilii caelo miffi; quando omnia defunt.
Humana heu miferis fruftra fperata, Deum Rex
Refpice placatus fummo de culmine caeli,
Hunc equitum florem, noftrae haec infignia gentis.
Ro-

Roboris antiqui neu nigras ire ſub umbras
Relliquias patiare Pater, tua dextera ſervet
Aeterna dignos vita, aeterniſque triumphis.

JUL. CAESARIS SCALIGERI CARMINA.

IN DEUM PATREM.

PERPETUAS rerum ſeries, aſcriptaque Mundo
Foedera, & aetheriis orientia ſigna maniplis
Aggredior. Quid Fata ferãt: quibus ignibus hauſta
Concipiant humiles caeleſtia ſemina mentes:
Aeterni Genitoris opus. Juvat ire per omnem
Naturam, vetereſque Dei recludere leges.
Vos me igitur: tuque ante alios, cui limina Divum
Celſa patent, celereſque vacant noto Aethere nimbi,
Sancte Puer: cui fulmineo cita nubila curſu
Parent & rapidis ſtatuunt veſtigia plantis:
Jam ſuper aeriam cognati luminis oram
Conſtituas: totoque feras mea carmina Caelo.
Jamprimum validis ſuſpenſam hanc, aſpice, clauſtris
Congeriem, pictamque oculis radiantibus Aethram,
Annique Oceanique vias, Terraeque labores
Perpetuo imperio nox intempeſta premebat.
Nam neq; erãt Aſtrorum acies: neq; candida Nautis
Nocte ſedens tacita paſcebat lumina Veſper.
Necdum etiã excierãt Hyemes fera murmura: necdũ
Diva Deum ſanctae quae praeſidet aurea Luci,

Oceani fluvio vigiles perfusa lacertos
Ibat in Hybernas referens juga fessa pruinas;
At Pater omnipotens aeterno accinctus amore
Multiplicem textum, superi spatia avia Mundi,
Sideraque adverso subterlabentia Caelo,
Informemque globum condit Telluris: & alta
Aequora Phoebeis subsistere jussit habenis.
Hinc etiam immenso radiis excita profundo
Protinus alma Dies fugientibus incubat umbris
Auricomi imperio Phoebi comes. Ille dierum
Castigatque moras, brevia & compendia laxat.
Ille fovet validis subeuntia semina caussis
Largior, atque elementa modis insolentia miris,
Secum aevi momenta trahens, rerumque senectam.
Ac neque jam tetrae Sortis caligine caeca
Delentur facies: neque turbida lucis imago est:
Alternoque meant cedentia tempora lapsu.
Volvitur oceano Caelum; blandisque tenebris
Defessi aspirant animi, solaque sub umbra
Mista latent laeta acta virum, tristesque dolores.
At sopor interea nutanti corpore pronus
Detergit gravibus mortalia pectora curis.
Tum dirum insani Martis populatus amorem
Afflat agens segnes animos, & inertia corda.
Illum invitantem ad miserandae oblivia vitae
Alituum tepidis haerentia corpora truncis,
Hesterni memores avido sub dente pavoris
Excepere ferae faciles, seseque dedere.
Nec minus inde abiens variis operosa periclis
Aequora conciliat Caelo. latet abdita turba
Squammigeri gregis, & fruitur felicibus horis.
Protinus aerias animas, atque alitis Aurae
Semina, terrificosque alto ciet axe tumultus

Ro-

Roresque pluviasque nives, canasque pruinas:
Attonitasque cavo convulsas turbine nubes
Fulguribus crebris, & fulminis igne corusci
Distulit: ac laceras Caelo disjecit aperto.
Tum vero teneri tepor, & clementia Veris,
Optatasque vices, ac limina fertilis Anni
Exeruere: Hyemisque furor vaesanus iniquae
Increpuit cladem agricolis. ruit horridus Imber:
Imber agens miseris gelidum Pastoribus annum.
Necnon & pecudes, necnon & turba volantum
Cautibus Hybernant tepidis. silet obruta duro
Terra gelu: sudoque sonant Aquilone procellae.
Jam patris Oceani refluis maria incita metis
Composuit: guttisque undas inspersit amaris.
Illum exsultantem, ac sese in vada caeca trahentem,
Rimantemque aditus, specubus compescuit imis,
Telluris medio in gremio. Dum fervidus ira
Nititur egressus varios, terrasque fatigat:
Speluncas, vitreosque lacus, & rosida rivis
Rura quatit: liquidisque gemunt singultibus antra.
Saxa magis; quia saxa cavo latebrosa recessu
Urgentem invitant laticem: quem vis vaga ponti
Continuo premit accubitu, truditque ruentem.
Tres adeo ingentes diversis tractibus amnes
In devexa ruunt. tres alto margine ripa
Frenat aquas: stringitque citis vestigia lymphis.
Ecce aestus domitor, terraeque feracis alumnus
Nilus adest: adque usta extremi limina mundi
Nostro admiranti Nereo canit altus. at illi
Adsistunt pelagi Indigetes. stupet inscia turba
Avia disjunctis fulgentia sidera terris.
Interea domiti non secius aequore campi
Stagnantes deducit aquas: & limite glauco

Informemque animat limum, fingitque sequentem.
Parte alia gelidus flavae moderator arenae,
Dissimulans Solisque obitum, lucemque cadentem,
In latus Euxini furiosis cornibus Ister
Germanũ evadit truculentum, Hunnumq; ferocem.
Nec minus aurifero sublustris pumice Ganges
Exit: ubi teretes caelesti e semine rores
Haurit agris Aurora. Et quo te carmine dicam
Tybri pater? domito quem fama aequavit Olympo.
Est locus Hesperia in magna, qua flexibus ingens
Mille fluentisono fluvios Padus excipit alveo:
Vorticibusque cavis celeres citus explicat orbes.
Sollicita hinc, atque hinc incerto foedere moles
It Caelo, atque aegre violentibus imperat undis.
Quid referam infesto turbatos agmine vultus?
Solvuntur tepidis canae cum flatibus Alpes,
Imbrifer imbriferis cumque Alpibus Apenninus:
Quam pecoriq; satisq; luem, quantam ille Tyrannus
Det stragem? fuge torva citus fuge flumina pastor,
Tollentemque minas, & cornua dira tumentem
Aggeribus preme perpetuis: ac pondere ripae
Carpe vigil. Non ille cavis contentus avitis
Vicinas petet exuvias. stat Vesulus alte
Arduus: atque animos genitor despectat ovantis.
Solus, ab Arctois ubi Norica tunditur auris,
Regnatae indignans servire licentius undae,
Praecipites famulum latices deflectit in aequor
Rex Athesis, rex olim Athesis fert clara secundo
Cornua suave jugum non detrectantia cursu.
Quid tumidi, & graviter spirantis copia, duri
Benaci? ruet ille graves sub sidera fluctus,
Ostentans scopulos, & tristibus igneus iris.
It vigil adspectans confusas moestus arenas

Pisca-

Piſcator : rupique levem conterritus alnum
Credidit, aut ſylvis tuto ſubduxit opacis.
At pater Adriaci ſcopulo Neptunus ab alto
Effrenes undarum acies miratur, & imbres
Fulmineos, actoſque animis in praelia Cavros,
Vaſtior : intumuitque novo praecordia Regno.
Qualis ab aetheria praepes Jovis armiger aula
Seu pavidum leporem, ſeu pronum in cornua cervum
Deſpiciens, ſpecula celer inſidiatus ab alta,
Orbe datur breviore, trahitque in nubibus auras.
Aſt illi caput, atque rotantia pectora circum
Funduntur picae ignavae, corvique ſequaces,
Solicitataque vulturii gens improba odore.
Sic liquidum molitur iter : junctiſque quadrigis
Vadit : eo gradiente, metu maria alta tremiſcunt:
Moeniaque ſtabilique ingentes obiice turres
Nutant : & pecori ſtragem juga celſa minantur.
Tum circum aſſultant informia corpora Cete.
Subſidunt acta in ſpumas, criſpataque cedunt
Caerula : & obverſis ſtridunt vaga marmora ſulcis.
Purpureis paſtos algis adjunxerat Andis,
Benaci decus, Eridani flos, Mincias Andis,
Ore patrem referens, Nereida pectore matrem,
Glauca oculos, Hyali ſucco fucata capillos,
Laetmothoũ, Rhothiumq; Polyclyſtumq; Haliumq;
Quos deprenſa cavis pelagi ſub cotibus imi
Cymothoe magno genitori effudit in auras.
Cum vultus, & colla jubis mentitus equinis,
Improbus hinnitu ſcopulos tentaret acuto.
Illi indignantes denſos obſiſtere fluctus
Irarum tumidos proflabant naribus ignes.
Acriaque in numerum glomerata volumina crurum
Exinuant : caecaque cient aſpergine Caelum,

Infrenes. curvi abſiſtunt a pectore montes,
Exſultantque vada: & latices miſcentur amari.
Nec mora vocales cogit per caerula fratres
Vellvolae Tibicen aquae: cui flexa recurvo
Turbine concha patens rauco quatit Aethera cantu.
Ergo omnes vitreis virides Tritones ab antris
Alta ſecant. cedunt fluctus: undaeque dehiſcunt.
Pars erexerunt pinnas, auraſque morantes
Captant: & votis aſpirant flabra ſecundis.
Aut Solem glaucae denſis contextibus algae
Defendunt: bifidis trepidant freta fervida caudis:
Convulſumque Feris fugit occurſantibus aequor.
At parte ex alia viridis chorus ordine longo
Nereidum comitatur iter: liquidiſque ſub undis
Lubrica pellucent labenti pectora fluctu.
Exercent humeros aliae, pars colla Ferarum:
Nant aliae. tremulis reſpondet plauſibus Aether.
Impexi fluitant crines, & in aequore ludunt.
Ille etiam in latices proprium Telluris honorem,
Qua furit Ionio metuendus Sidere Nereus:
Euxinoque truci, inſtanſque truci Aegaeo
Obſtrepit: Illyrioſque ſinus, Tyrrhenaque late
Litora, Sardois Zephyrus qua frangitur Euris,
Accipit: & priſcis nova conſtitit Inſula Regnis.
Saevus enim rapida veniens vi pontus, ubi ingens
Irruit: utque fluor miſcens proclivis arenas
Cunctantes impegit aquas: utque impulit aequor:
Oppugnata diu, magno molimine ſaxa
Rupit: & undiſono diſcluſa interluit aeſtu.
Haud aliter memorant, olim ſubeuntibus undis,
Trinacrium Auſonio disjectum limite montem.
Sic & inaequalem vario diſcrimine Macrin
Abſcidit: & Tenedon Teucro de litore vellit.
In-

Interea magno terrae commota tridenti
Fundamenta quatit : totumque a sedibus orbem
Convellit. trepidi rupes e culmine saxi
Dissiluere : fugit vastis sub molibus aequor.
Intremit ictus Athos, Lemnumque a vertice late
Excutit. Illa diu Caeli per inane voluta
Caeca refert longo flammarum semina tractu.
Quinetiam horrisonae subter cava turbidus Aetnae
Virus inexhaustum spirantes dissipat ignes.
Tum sparsae abstulerunt secum Meligunida flãmae.
Qua ferus Hippotades vasti sub rupibus antri
Ventorum imperia exercet : Nautaeque vaganti
Aeolios acies aperit Vulcania campos.
Quid tibi commemorem congestas faucibus oras;
Quas Ligeris, quas Nilus agit, Gangesq; & Padusq;
Litoraque auriferis ditans anfractibus Indus?
Talia ab objectu terrae scinduntur inertis
Cornua magnanimo stagnantia gurgite Reni.
Vastus arundineo late qua cinctus amictu
Perque truces populos, pacisque expertia Regna,
Fertur ovans, Divumque sibi deposcit honores.
Quanquam autem Hesperiisque minis, & torvus Eois
Per varias hominum clades, metuendaque Fata
Finditur, & dubio sulcatur tramite pontus.
Hinc montana levi consurgens vertice pinus,
Hinc malesana abies, & veligerae antennae
Irritant : tonsaeque cava luctantur in unda.
Tiphys ubi edomito ridens ea Fata labore
Fluctibus in mediis animi vestigia fixit:
Ausus inhumano pelagus decurrere Caelo,
Audacesque aptare trabes, & fidere ventis.
Inde etiam imperiis, atque artibus omnia miscent.
Viscera scrutantur vasto telluris hiatu.

Vulni-

Vulnificusque Chalybs, Aurique infesta metalla
Pallentis patuere. Alius perterritus imbri
Frondentes stringens sylvas, infensus iniquo
Molitur Boreae surgentia robore tecta.
Aut subit ancipiti pendentia culmina topho.
Aggestum & vallum : summaque tuenda virum vi
Moenia succinctus populis descripsit Arator.
Ergo ut praecipites caecus dolor egit in iras,
Aut amor, & rapidis illudens flamma medullis
Persuasit telum omnigenum, rupesque revulsas,
Lignaque carnificesque manus,ignemque sequacem:
It pedes : & rudibus praefixum hastile maniplis
Ordinibus praelucet. At his nec densus acuti
Vultus inest cunei,aut consertae ex more Phalanges.
Pro se quisque graves animos, aut mollia corda
Aspirant : variasque acuunt in pectore flammas.
Post hinc sublimes in equis, & falsibus acres
Corripuere Aquilas in jura vocantia Martem.
Ac jam tu gladiis jam fustibus horrida pubes
Emicat : & justae glomerant certamina Turmae.
Jam lectae lucent acies : jam Marte calentes
Caedibus in mediis exsultavere cohortes.
Degeneres animos insano cornua cantu
Succedunt , repetuntque effoetos aera lacertos.
Haerent parietibus clypeis, postesque refixi,
Rostraque Barbaricis olim detracta carinis.
Ipse autem gelida pernix Venator in umbra,
Dum silet omnis ager placide, saltusque quiescunt,
Excubat, ingentes cingens indagine saltus.
Mentiturque solum fovea; scrobibusque subactis
Pallentes sternit frondes, canamque palustrem.
Tum primum insomnis vitulus meditatus aratrum
Mugiit : & ruptis fugit praesepia vinclis.

Atque

Atque vigil ſub luce nova, Caeloque recenti
Captavit pavido fugientem e pectore ſomnum.
Nanque ubi Terrigenae ſperati foedera Regni
Spiravit Pater : ut ſacris conſideret aruis:
Vipereo antiqui commento proditus Hoſtis,
Ah miſer, immenſo aeternum fraudatur Amore.
Ergo aegre ſulci manibus criſpantur : & uncis
Unguibus, aut ſudibus glebae truduntur inertes.
Dein raſtro, ſtivaeque rudi proclivis aratri
Exercet duram Matrem, colleſque malignos.
Ipſa etiam infelix infecta hoc crimine proles,
Infandum, aetherio ſemper caritura receſſu
Morborum genus omne ſubit, turpemq; ſenectam,
Bellaque, pauperiemque gravem, letique labores.
Magne Pater, viden' ut tetro porrectus ab antro
Sedibus ejectus placidis conſortis Olympi,
Invidus horrendo interitum minitetur hiatu?
Hic te, ipſi quod tu dederas, detrudere Caelo
Auſus, & indignans generis ſubeuntis honorem,
Quod ſupereſt, opus ecce tuum tentabit? ut illi
In te non licuit, ſaltem in tua facta licebit?
Huc igitur quis me reditus manet? aut quis acerbo
Eximet exilio? quae Victima ſancta piabit?
O pietas, vera o pietas. Tun' maxima vitae
Munera qui dederas, Angui praerepta ſuperbo
Integra reſtitues? labi permittis, & hoſtem
Me fieri : ut Nati redimat me ſanguis amicum?
Ergo ego, qui veteris necquiquam criminis haeres
Mole nova repeto aeternum reparabilis aevum,
Quem potius cecinisse velim? cui dicere laudes,
Ignigeno lucis non notae incenſus amore?
Non mihi ſi aetheriae inſinuet ſeſe omnia mentis
Semina : non ſi tota mihi ſeſe ipſa recludant
Mur-

Murmura linguarum: quaecunque liquentibus auris
Concipiunt variis faciles accentibus ortus:
Sim satis. Arcta leves operum haec Elementa tuorum
Alludunt aditus. Te nec mortalis egestas,
Caelestisve capit felix opulentia Regni.
Me tamen, ut curru Titan orientis anhelo
Clivum habet: ut prono cedit devexus Olympo:
Ingens raptat amor: figitque in sidera vultus.
In te abeo: donec sacro sub sanguine Nati
Mole nova repetam aeternum reparabilis aevum.

IN DEUM FILIUM JESUM CHRISTUM.

QUI superas patrii mutasti luminis oras:
Sordibus ut miseri fieres obnoxius Orbis:
O rerum decus, o Mundi melioris origo,
Nate Patris summi, summi Nate unice Patris:
Illa actus pietate, & eodem incensus amore,
Quo pro me caram voluisti fundere vitam,
Huc iterum descende: aegraeque illabere menti
Consolator, & a vero me tramite lapsum,
Errantemque etiam mordacibus exue culpis.
Unde autem laeta intrepidae primordia mentis
Obrutus infami squallentia pectora luctu
Accipiam? O verum Lumen de Lumine, mortis
O Mors praeteritae, O vitae Spes sola futurae.
Unum ergo reliquum omnipotens oramus: & unum
Spiramus. Da magne Pater tibi posse placere.
Haud equidē hoc petere indigno scelere obrutus ausī.
At scelus ablutum puro qui sanguine deles,
Dignaris venia. Hoc Patris est, hoc deniq; vestrum:
Quod nihilū, aut pejus nihilo est scelus, addere vitae.
O flammae Vapor immensus sine sordibus, o Lux,
O Ignis:

O Ignis : non iste vorax : sed lumine Vitae
Cuncta fovens. cui frigus iners, cui frigoris Autor
Hostis atrox cessit fugiens malus. En ego purum
Olim opus: at nunc jam sceleris sub pondere servum,
Heu hostemque etiam, ac contemta luce rebellem,
Invitum, ingratumque, & me mihi crimine raptum
Restituis veterique viae, Regnisque futuris.
Tu quod non fueras, placito tibi tempore, factus,
Ut fierem quod eram? passus mea crimina, servus
Ex Domino : ut servi excuteres fera vincula collo?
Non tibi jura loci gremio Telluris amatae,
Non tegmen qui cuncta tegis. Quem culmina Mundi
Alta canunt, stabulo positus vagire juberis.
Hoc te adeo magni soboles operosa Parentis
Occupat : & mediis regnat Fors improba caussis.
Suget pardus ovem : proles truculenta leonis
Mugiet horrendum intrepidis adnixa juvencis.
Sic tibi mole nova Caeli fulgentior axis
Constitit, & magnis concors evolvitur astris.
Sic placitum Genitori, imo qui protinus orbe
Terrarum, sator alta sedens juga torquet Olympi,
Sancta etiam Eois surgens Astraea maniplis
Ostentat late populos, atque aurea Regna,
Aurea perpetuam rerum spirantia pacem.
Reginamque Hecaten tenebrarum, auraeq; silentis
Conciliat. dabit ipsa novos ad sceptra tumultus:
Aeternasque manu capies moderator habenas.
Sed fuge crudeles animos : fuge torva minacis
Monstra viri. petet ille tuos furor improbus annos:
Spes Matrum, ac regni excindet simul ille Tyrãnus:
Impiaque innocuo foedabit sceptra cruore.
Quae te terra Puer profugum : quae tota, Parenti
Parva manet : quae terra sinu officiosa recondet?

Jam

Jam quae fata poli Dominus sperare jubebas,
Vix audent tutum indomito bene credere saltu.
Te nitidae Caeli faculae, te rosidus Aether,
Te liquidi flevere Dies, & conscia Fati
Sidera quaeque vadis pinguescit putribus amnis,
Quaeque patens siccis animosi fluctibus Euri
Exinuat, torquetque leves Aegyptus arenas:
Et vos palmiferae saltus deflestis Idumes.
Ipse etiam, qui nunc lacrimis rigat ora nitens Sol,
Morte tua insuetis moestum caput occulet umbris.
Quem ne gemam? quid collacrimer? te funera passum,
Ut vitam des? an meipsum : qui vincula mortis
Necto iterum : quae Sancte tuus dissolverit ortus?
Dulcis amor, dulcis pietas, dulcissima vita:
Qui mihi ad antiquum communis luminis haustum
Naturae stupidas solvisti funere leges.
Ah durum, ah rigidum protento stipite truncum.
Pandentemque sinus, orbemque in vota vocantem
Jam populo jam redde pio, jam redde precanti.
Aspice sanguineis rorantia pectora guttis:
Aspice humi stratum, celso te ut condat Olympo.
Injectus manibus laqueus tua vincula rupit.
Ipse reos qui solvisset, reus actus iniquo
Judice, & immeritas jussus expendere poenas.
Me me. adsum genus infelix. in me impia tela
Coniicite. En ego, qui veteris sum criminis heres.
Idem heresque, idemque autor, idem omnia. fige:
En manus: ecce pedes: sceleratum huc exige ferrum:
Hoc petite, hoc: vestrũ est vestri hic stat sũma Triũ-
Est satis, est mihi nũc animi, per mille pericla, phi)
Mille neces, ac morte ipsa quod durius usquam est,
Dulcia mi expetere optatam per vulnera mortem:
Vulnera nostra tuos diros imitantia casus.

As-

Aſpice quo rerum traxit me dura juventus
Amentem, & ſtolidum ventoſae Gloria laudis:
Per validas acies, ſaevique incommoda Martis:
(Heu vigilatae hyemes, noctesque ſub Alpibus actae)
Foedaruntque mihi faciem: hauſeruntque cruorem,
Qui tibi, quique tuas olim debetur ad Aras.
Tu mihi, tu geminam duplici ſub lumine vitam
Inſinuas. tu ſub renovato foedere laetum
Rurſus ſidereis facis aſpirare maniplis.
Hanc tibi ego inſonti ſervatam ſanguine vitam
Hanc reddam Pater: illa tua eſt. te flumen amoris,
Te fontem aeternaeque ſpei pelaguſque ſalutis,
Immenſumq; Diem, atq; immēſum Lumen anhelat
Ah quoties animo ſubeunt tua vulnera ſancto:
Tu toties miſeri ſcelera obliviſcere monſtri.
Nempe his me maculis tanto de vulnere ſanguis
Proluat: aut fontem lacrimarum immitte precanti.
Fac me unum e famulis: certum cui carpere penſum
Conſtitues: coeptoque operi inſudare jubebis.
Fac me unum e catulis: tenuis quibus ubere largo
De plenis epulis, miſeros cibus educat annos.
Si nova ſupplicii horrendi trepidum urget imago:
Eheu quo te animo, quo vultu demoror? ergo
Qui mortem attulerim, vitam peto? pignora laeſa,
Laeſa fides: nec forma uſquam ſuper ulla pericli eſt.
Quo fugiam? aut quibus in latebris mea tetra venena
Abſcondam miſer? haud ſatis eſt terraeque, mariſque,
Quod capiat ve, lavet ve nefas. Quibus ignibus atris,
Aut quali mea ſupplicio commiſſa luantur?
Nate Deo, Deus ipſe, prius quo nil fuit unquam,
Nil eſt, nil erit: omnigenum meta ultima rerum:
Quid mihi jam ſine te vel dulce, vel utile? Quo te
Quo ſequar? aut quae nūc corpus, diſtentaq; membra,
Et

Et vultum illusum regio capit? hoc mihi tandem,
Hoc reliquum est? ut te doleam non posse videre:
Atque frui dulci alloquio, & caelestibus auris?
Qualis Threiciae effugiens fata atra sagittae,
Cui virides saltus, & rosida gramina rivis
Excussitque animo catulum fuga dura : per altos
Ilicet abripitur montes, per inhospita saxa:
Exsuperatque vias omnes. tum limite campi
Nequicquam laticis quaerit miseranda liquorem.
Ah misera : ut semel expleris te munere lymphae:
At sities : ego non sitiam. mihi flumine vivo
Fons scatet : aeternique sitim domat agmine rivi.
Ergo etiam posuisti animam : quo tollere nostram
Velles depositam, deploratamque periclis?
Dic, ubi te posuere : at ego hinc caelestia tollam
Pectora, liquentique ungam liventia succo.
Dic, ubi te posuisti : at tu hinc mortalia tollas
Corpora, letiferisque laves sordentia culpis.
Dic, ubi sis : quo te fugiam : cui robora veri
Intemerata manent Recti: quem Tartara Regem,
Quem ventura tremunt scelerati incendia Mundi.
Dic,ubi sis:ubi te quaeram : quem dulcis amor,quem
Suasit amor dulcis pro meipso effundere vitam.
Tu ne etiam inferni spoliasti lumina Regni:
Ac rediens iterum nostris jam vesceris auris?
Siste Pater : sic ne ut feris accincta tenebris
Nox miserum, involvat caecis amplexibus Orbem?
Siste gradum. te Luce nequit nox ulla morando
Officere: haud orbi, haud animis: quos lumine cassos
Illa ferox nequicquam operit sordentibus umbris.
Ah ne alibi serum hospitium tibi quaere: sed intra,
Intra in nos Deus omnipotens. Nam si qua recepti
Mens praesaga boni miseris Mortalibus usquam est:
Tu

Tu Deus es: tu, praesentem quem quaerimus, ipse es.
Quonam abeas? fracti agnosco rata pignora panis.
O panis: cui nulla fames, nulla obsita leto
Obstrepit extremis veniens in rebus egestas.
Ecce ego, nulla mora est: eadem mox nocte remensa
Ocyus ad fratres, & Vatis moenia Regis.
Vidi egomet Dominũ; hisce oculis, hisce auribus hausi
Viventem. Num mors potis est in semina vitae?
Ille mihi, & Lucae, & Cleophae, per lumina rerum,
Per veteres verborum acies, quas Spiritus alto
Communi Patri atque ipsi, de fonte profudit,
Per se unum, ad seipsum, sese duce vectus, inanes
Excussit tenebras. Hic me Pater optime fessum
Deseris: & miserum medio in sermone relinquis?
Atqui olim mihi perpetuum comitantis honorem,
Aeternum latus, aeternae vestigia vitae
Pollicitus fore non ullo quem deseris aevo.
Ergo etiam integro generis mortalis amore
Hic aderis. vita extremis obsessa tenebris
Te metuet, te quaeret. Ego hic exuta periclis,
Erutaque infami laetabor saecula planctu.

IN DEUM SPIRITUM.

TE quoque, nec geminum, nec ab uno ducte, sed unum,
Alme Parens: ab utroque Deus, Deus unus, & unus
Spiritus, unigeno qui concelebraris amore,
Sancte cano. quanquam in Nato, Natique Parente
Semper eras, & semper eris. & utrunque canentum
Carmen obis: placidusque in pectore fusus anhelas.
Nam quid ego aut dixi, aut tacui, quod numine vestro
Jam vacet? aut quaenam laudum mihi contigit aura

Quam non aut animo, aut numeris tecū ante peregi?
Sic etiam aeterni complens promiſſa Parentis,
Poſt geminae mortis devictum numen, & altis
Monſtri Tartarei Regna exſpoliata trophaeis,
Igneus auricomo commiſtus turbine nimbus
Increpuit. Tum arrecti animi, & vox faucibus haeſit.
Queis ego disjecto hic oculi mortalis amictu
Haurio flammiferis crepitantem molibus axem?
Palanteſque polo faculas, & ſplendida lucis
Agmina, fulguribus crebris, tonitruque coruſco,
Adventante Deo? jam jam ut ſeſe arduus infert?
Dùm pacata cohors animis ſibi gaudia miſcet
Concilio in medio reſidens, certaſque fovet ſpes:
Ignigenas linguarum acies, ſonituſque canoros
Excepere animis: aliuſque repente reſedit
Ardor, agens magnae caeleſtia ſemina mentis.
Ergo ille imperii aeterni ventura profatur
Fata canens: aperitque aevum: vetereſque recludit
Omnimodas rerum ſeries. jam pontus, & ingens
Ante oculos terrae tractus, convexaque Caeli
Templa patent: paretque novis mens incita Regnis.
Ille peregrinis haud unquam cognitus oris
Reddit habens varias omni diſcrimine voces.
Audiit & ſero impoſitus Tagus aurifer orbi:
Et qui barbaricas medius ſecat Albis arenas,
Indigenae agnovit commercia diſſita linguae.
Quem nuper, quem Volga rigant, & inhoſpita Ponti
Aequora, & egelidi ſtagnantia flumina Nili.
Quaque novi vaſtus refluit Senega incola Mundi.
Quare etiam quondam rudis ad primordia lucis
Alme Parens, quae tu dederas mihi munera, de me
Haec repetas: repetita feras: animumque labantem
Conſtitue: atque fove placidam ſub pectore pacem.
Al-

Alme Parens fer opem : atque piis intende querelis.
Sive inimicus atrox, seu me mihi dira cupido
Abstulerit : si me abstulerit me dira cupido:
Affer opem pius : ac miseris intende querelis.

IN SEMPER VIRGINEM DEI

GENITRICEM MARIAM.

TE Superum Regina cano: tibi, debita Caelo
Carmina speratam rerum evolventia pacem
Servire, & sanctam trahere in mea vota Pyrenen
Incipiunt. mihi tu numeros, mentemque supremam
Inspira : atque animo fallaces elue curas.
Nam quis tantarum me immensa per avia rerum
Labentem, fractumque metu, pulsumque pudore
Restituat? quis nostra tuis favor oscula plantis
Admovet : & superas securum sistit ad Aras?
Quid primum, quid postremum de te optima Virgo
Eloquar, aut sileam, sub iniquo ponderis aestu
Pressus, & aeternae ingenti cumulo obrutus aurae?
Verte omneis tete in facies mens ardua, mens o
Mens alto cognata Polo : totum indue Caelum:
Totum hauri variis diffusum inflexibus Orbem:
Nondum etiam laudum complexa es Virginis oras.
Virginea quae Diva Deum bona condidit alvo,
Quisnam humili trepidus Musarum carmine condet?
An genus humanum, totamque ab origine gentem
Tabifici afflatam vitiosis dentibus aevi
Expediam : & veteris renovabo exordia luctus?
Foeminae uti datus est comes, & pater: utq; malignis
Capta dolis, misera ah comitemq;patremq;fefellit?
Foemina uti genus humanum, generisque parentes

Disclusos nitida patria : atque illustribus aruis
Integrat : & vitae reparabilis evocat annos?
O Nato sata Virgo, tui patris inclyta Mater:
Cui radiis candens niveis argentea Phoebe,
Pulcher & auricomo collucens Phoebus amictu,
Stellarumque greges placito famulantur honore.
O Virgo sine labe, sacra mihi purior unda,
Quae gelidis specubus, quae vivis excita saxis
Temperat Erigonen, scatebrisque recentibus halat.
Tu quoque Diva sitim vitae mortalibus aegris
Alma levas, fontemque ferens, pelagusque salutis.
Una olim desperatae primordia Gentis
Restituis : nunquamque gravi concussa tumultu
Fundamenta jacis : veroque e Lumine Lucem
Concipis : & placidam componis pace quietem.
Ergo inter meritae praeconia certa Coronae,
Quam tulit e patrio descendens victima Caelo,
Inter & excelsas numeroso carmine laudes,
Tu quoque Diva nites. in te concordibus orsis
Et servus malus: & Dominus bonus, arma volentes
Hostica deposuere : latet sub Virginis umbra
Nox vetus, atque recens patriis Lux edita claustris.
Quique necis miserae male sordibus obrutus atris
Horrebat Caeli faciem, lucemque supremam,
Luce viget comite, & vitalibus emicat auris.
Qualis ubi Eoa perfusus Lucifer unda,
Laxavit roseis spumantia frena quadrigis:
Postquam nox Erebo, caecisque effulta tenebris
Flammigerum nigrante manu distrinxerit Aethram
Aeternas accincta faces, tacitoque renidens
Aethere, frondenteis obduxerit invida sylvas.
Tum vegetus rediit rebus color : omnia rident
Orbe novo ; tremulaque fuga freta lata relucent.
Sic

Sic tibi poſt tenebras, ac taedia noctis opacae
Sole novo, Solis domino, lucisque parente,
Illuſtrare chaos, veniamque expoſcere rebus
Omnipotens dedit: & veteres excludere luctus.
Ille etiam humani tandem poſt ultima fati
Foedera, perpetuam radianti fronde coronam
Divino imponit capiti, ſceptrumque Piorum,
Votaque & aeternas tecum communicat Aras.
Quid memorem anguſto diſcluſas limite fauces,
Quas rigido clauſit ſaltu protenta Pyrene?
Caeteraque extremis miracula diſſita terris?
Vos Caelo aſcitos tumulos, rupeſque ſuperbas
Alloquor, & placitis poſitas in collibus arces:
Quae tumidas Pelagique iras atque horrida Ponti
Murmura nequicquam validos ſpirantia ventos,
Juſſa Deo, curſu moles ſuperavit acuto.
Illa Palaeſtini teſtiſque, & conſcia Caeli,
Quo Pater omnipotens ſortem miſeratus iniquam,
Obtulit aeternam veteri pro crimine prolem,
Praepetibus tenerum ſubvecta per aera pennis,
Illyricis ſcopulis, ſaxiſque informibus haeſit.
Mox ſcelerum rabiem fugiens, gentemque profanam
Adriacos alto deſpectans aere fluctus,
Recinios ſaltus, & paſcua Lauretana
Eligit: atque piae molitur commoda genti.
Hic tu me variis Fortunae ambagibus actum
Poſt tetricas Fati clades, Sortiſque ſuperba
Imperia, & mala bellorum quae turbidus hauſi,
O mihi ſola graves Virgo miſerata labores,
Ejectum, extorrem, miſerum, rerum omniſi egenum
Foviſti, & reducis reparaſti exordia lucis.
Per te etiam nec opinanti dulciſſima Virgo
Subventum eſt: nec ſpes unquam me longa fefellit:

Et nunc proſpiciens extremos terminus annos
Viſus adeſſe mihi, finemque adducere rerum,
Triſtis ut antevolans dubiae confinia vitae,
Ignavam mihi caniciem, luceſque malignas,
Curaſque tractuſque animi, ſordeſque profundas
Attulit: & memorem inſtantis jubet eſſe ruinae.
Ergo etiam ignoto rapidi ſub carcere curſus
Sperantem pariter heu cuncta, & cuncta timentem,
Fidentemque tuo Virgo ſanctiſſima ductu,
Tolle manu, & Nati felicibus inſere turmis.

JOANNI BAPTISTAE.

MAXIME terrigenum, ac Regis praecurſor Olympi,
Sancta Anima, & tacitis Caelorum exercita fatis,
Ultima legiferae Naturae meta Joannes,
Cui fulvi claros humeros immane cameli
Tegmen obit: nudoque ſonant de vertice nimbi:
Te per inacceſſos tumulos, & inhoſpita ſaxa,
Nunc vero aetherias ſedes ſuper, & ſuper altos
Caeleſtumque choros, moderatorumque catervas
Sublimem veneror miſer: atque incondita porto haec
Dona prius. Satin' ut pleno te pectore perflans,
Hoc animo, hac mente gerens, his ſenſibus haerens
Fumantes tibi nunc ſupplex advolvor ad Aras?
Principio teneri poſt incunabula Mundi,
Et labem fragilis thalami, primique Parentis
Crimina vivificae donis obnoxia lymphae:
Caetera, quae canerent primorum carmina Vatum,
Spiritus aetherio ignotus de fonte profudit.
At tua Sancte Parens aequaevi luminis aetas
Extulit in verae praeſentem commoda lucis.

An-

Ante etiam immensi conspectum Regis, & ante
Quam rudis haurires vitalia semina Caeli,
O Amor, o pietas: materna conditus alvo
Ignotum terris Dominum sine voce salutas,
Debita divinis summittens genua latebris.
Mox, ubi conceptas eduxit spiritus auras:
Fervidus increpitans caeci scelera horrida mundi,
Solorum nemorum laetus secreta petisti:
Qua porrecta parum sinuosae cornua ripae
Compositas bigenae flectunt Jordanis habenas.
Inter desertum campi latus, inter & aestu
Collectamque sitim, dirique incommoda Caeli,
Nec domat extremo quaesitum munus in orbe
Medorum liquidus succus, laticisque Lyaei:
Arida nec domitis jejunia solvis aristis:
Mella tibi patriis uni liquentia ramis.
Daedala sudat apes: miseras tibi devia guttas
Summittit tellus, ac vilia membra locustae.
Inde frequens locus ille viris, montanaque passim
Turba ruit: vidui campique, urbesque relictae:
Et libertatem populi spirantis imago.
Tu, quis es? an ne aevo patribus promissa priore
Vera rudimenta, & certae fomenta salutis
Dexter habes? gentisque agitas arcana renatae?
O gravis aeterni soboles sperata Parentis,
Adsis perpetuo imperio, & sordentia puris
Dilue concepti sceleris vestigia rivis.
Sic populus, sic ille: Dei nec vera propago,
Nec vates: sterili sed vox clamantis in ora.
Vos, quibus a supera pax est promissa quiete,
Perpetuo licet hanc lucem celebretis honore.
Ecce diem, quae perfudit vos Lumine, qualem
Extremo veniens Sol nunquam aspexit Olympo.

Rex Regum, aeterni sceptri cui summa potestas,
Regna bonis, pacemque gerens, cladem que profanis:
Qui fuit ante, ego quam fierem, meq; ipse sequutus,
Exoluet veteris sordentia crimina poenae.
Non ut ego abjectae fluviali munere lymphae,
Sed liquido afflatu, ac Caeli fulgentibus auris:
Et patrium insonti pacabit sanguine Regnum.
Sic ait: & populum nitidis lustrabat in undis,
Multa monens, multa ore pio mandata resolvens:
Ecce autem sacris sese referebat ab aruis
Vera Dei soboles, Mundi melioris origo.
Quem circũ aetheriae jam numine percita flammae
Collecta exilio, veterique e crimine turba,
Matres, atque viri, pueri, innuptaeque puellae,
Ipsae urbes. ipsique agri, tota ipsa sequuntur
Agmina: deserto cessat jam taurus aratro:
Pendet & amissis opera interrupta juvencis.
Illius ut Vates fulgorem fervidus hausit
Fulmineum: perque ima pius calor ossa cucurrit:
En pacata, inquit, scelerati victima Mundi.
Sic ait: & sanctum posito velamine corpus
Tingit aqua, autoremque illius muneris ornat.
Tu ne Deum fontis dono mersare salubri?
Tu ne Deum? tibi qui tribuit sua munera, de te
Haec petit? & veteris cessit prudentia Fati?
Quem facit ille parem sibi, te mortalia temnunt?
His de te tantum licuit? te vera monentem
Invidit miseris terris fortuna? nec ipsum
Carceris infandum satiarunt vincla Tyrannum?
Ut sacrum aspiceret caput a cervice revulsum?
Ergo illum inferni subter fera limina Regni,
Et furvas desperata caligine sedes
Insomnem exercent Furiae. cui tristis Erinnys
In-

Infestum caput anguineis redimita capillis
Sanguineo assurgens facinus sonat ulta flagello.
Quae loca ne videam reus, o Pater optime, mortis,
Curriculo vitae, ac spatiis disclusus iniquis:
Sed lacerum sterili nostrum hunc in litore truncum,
Singultantem animam dulci pro nomine Christi:
Quam toties miser objeci mortalibus ausis:
Exora, meritisque tuis merita ardua captem.

DONAT ATTICUM CHIROTHECIS.

FIDELISSIME Romuli nepotum,
Mellitum decus Attici leporis.
Quo fide tegerem manum beatam:
Mitto Xenia parva chirothecas
Abunde Indico odore diffluenteis.
Quo linguam tegerem beatiorem,
Reginam veterum eloquutionum,
Arcem, ac praesidium elegantiarum,
Mundum mittere debui. sed ille
Vix, puto, capiat quod eloquare,
Facundissime Romuli nepotum.

AD BURDEGALAM ATTICI PATRIAM.

FRENATRIX maris extimi superba,
Sinu praepete quae beata portus
Audis aurea maximum Senatum,
Nutrix nobilis incliti Lyaei.
O nec tam maris horridis habenis,
Nec miri sinubus beata portus,
Nec vena vitrei Thyoniaei,
Nec Sancto venerabilis Senatu,

 Quam

Quam quod mater es Attici. quod isthic
Caeli semina primulum sereni
Divinum caput hausit. & tenello
Risu distulit incitas tenebras.
Felix terque, quaterque terra felix,
Grandi pignore, dotibus superba,
Aut jam jam accipe me in sinum beatum:
Aut meum bona mi Atticum remitte.

AD SYLVIUM FILIUM.

SERAE Sylviole otium senectae:
Orbi relliquiae aureae parentis:
O fessi patris optimum levamen:
O vitae unicae despicatae ocelle:
Quid rerum geris? an meos labores
Tuis pulchra laboribus recudens
Deles? Perge puer disertiorum
Augere ingenuos choros virorum.
Et spes fulmine praeterire mentis:
Quae tam grandibus excitae periclis,
Subscribunt patris usque, & usque votis.

AD EUNDEM.

SYLVI, dispeream : nisi omne factum,
Atque idem interream : nisi omne votum
Pro vobis fuit : ut bene, ac benigne
A me esset ; fieretque diligenter
Sic, quamplurimum, & ut pote est, parenti.
Nam quid gratius esse quid parenti,
Cui cordi sit in ultimis periclis
Fatalem effugere esuritionem:

Quid?

Quid? quam ut ſit bene liberis ſuis ; quos
Suae ſubſtituit perenne vitae:
Queis vitam inſtituat nec obſoletam,
Nec vita tumidam Neroniana:
Sed frugi mediocriter beatam.
Verum Sors mala, ſors maligna, Sors, quae
Bonos ah male habet, malos beat : me
Exemit numero valentiorum:
Quem olim (Dii) decorare ſic ſolebam.
Mirum ni miſero excidiſtis : ah quem
Subducta ratione rem putantem,
Excurſo ſpatio, imminente fato,
Dictum factum abeuntibus diebus,
Sui oblivio cepit, & ſuorum.

AD THOMAM SEVINUM.

SEVINE optime, ab optimo parente,
Optimo parvo, aureis amicis,
Antiquae decus eruditionis,
Novarum pater elegantiarum,
Culto pectore, moribus vetuſtis,
Nae tu vel nimis, ac nimis venuſte
Egiſti. qui etenim fores poeta
Magnus, candidus, elegans, venuſtus,
Gravi Phoebigenum incitatus oeſtro,
Sanguine, ingenio, inſtitutione:
Ne nos deſidia, & rudi veterno
Marceremus : ut ii, quibus Camoenae
Seram difficiles dedere Laurum:
Invitis, facili manu, Camoenis
Miſiſti illico liberalis oeſtrum,
Divinum laticem inclyti liquoris:

Qui

Qui ſecum innumeros trahit poëtas.
Nolentes fugit, incitat volentes,
Torpentes acuit, necat veternum.
Qui Monembaticiſque, Reticiſque,
Corſiſque, Trebiiſque, Dalmatiſque,
Renanis, Siculis, Corinthiis, &
Ne longum faciam, omnibus ſuperbe
Sibi aſſurgere juſſerit: peribunt.
Quare ne mihi ne ſevera poſthac
Juga oſtendite tetricae Puellae,
Aut Aſcrae, aut Heliconis, aut Olympi,
Celſa, Juppiter, & laborioſa,
Aegroto, vetulo, ſiticuloſo.
Coronam facilem, parabilemque
Hic centum mihi Apollines pararunt.

M. ANTONII MURETI PRESBYTERI, ET CIVIS ROMANI.

CARMINA.

MAGNE Ducum, fetã populis cni fortibus urbem
Pulcher olorifero Mincius amne lavat:
Sume datis a te ſcriptos mihi legibus hymnos,
Neve parum culti deſpice vatis opus.
Illi etiam quorum hic meriti celebrantur honores,
Lucida quos conſtans vexit ad aſtra fides,
Non indignantur parvo ſibi ture litari:
Atque animum magni muneris inſtar habent.

For-

Forsitan his olim juvenis meliora dedissem,
  Et mulcere aures dulcius apta tuas.
Sed veniens etiam ingenio est damnosa senectus:
  Nec tantum vires corporis imminuit.
Cum mihi turgerent meliori sanguine venae,
  Nec curarum animum pondera deprimerent:
Sponte sua numeris carmen mihi mollibus ibat:
  Et subito versus fundere ludus erat.
Nunc & corpus hebet senio, & mens ipsa pigrescit,
  Quodque habuit ludo, nunc onus esse putat.
Dulce onus hoc tamen est, quod te mandante subitur;
  Et leviora facit jussa jubentis amor.
Atque utinam haec roseo legat& VINCENTIUS ore
  Phoebi & Musarum maxima cura puer:
Qui florescenti paullatim attollitur aevo,
  Ut sata se ad fluvii subiicit alnus aquas.
Felix, cui teneris Helicon lustratur ab annis,
  Et bibitur volucris fons pede factus equi.
Quem jam ipsa Uranie blandis complexa lacertis,
  Stellatas Superum vexit ad usque domos:
Ostenditque astrorum ignes, caelique meatus,
  Queisque suos peragant legibus illa choros.
Quis scit, an &, coelo dum singula despicit, inter
  Caetera majores viderit astra suos:
Et quos purpureo contexit Roma galero,
  Et qui legali sceptra tulere manu?
Fortunate puer, magnum patris incrementum,
  Cui Lachesis net plena aurea fila colo,
Vive diu, utque dati poscit tibi nominis omen,
  Tende atavos omni vincere laude tuos.
Neu grave sit, dum dona tibi graviora parantur,
  Interea partem carminis esse mei.

AD

AD BEATISSIMAM VIRGINEM DEI MATREM.

UNDE mihi insolitus praecordia concutit horror,
Et perfusa metu trepidat, velut icta Deo, mens?
Fallor? an hoc facit ipse locus, stimulosque paventi
Subiicit, atque animum praesentia numinis urget?
O caelo dilecta domus, postesque beati,
Quos ego jam pridem tota mihi mente cupitos,
Nunc primum, veteris voti reus, advena viso:
Salvete, adspectique mihi feliciter este.
Vosne per aetherias Judaeae a finibus oras
Aligerum, mandante Deo, vexere manipli?
Hic virgo genitura Deum, genitricis ab alvo
Prodiit, & blandis mulsit vagitibus auras?
Hic quoque, virginei servata laude pudoris,
Sancta salutifero tumuerunt viscera fetu?
Ille opifex cunctorum, illa aeterno unica proles
Aequa Patri, ille homini, primaeva ab origine lapso
Spem caelo vitamque ferens, hac lusit in aula
Parvulus, & sanctae blanda obtulit oscula matri?
Quaenam igitur regum sedes, quae templa per orbẽ
Huic se ausint conferre loco? ter & amplius omnes
Ante alias felix Piceni littoris ora:
Cui Solymos spectare domi, cui munere divum
Fas calcare domi est pedibus vestigia Christi.
En ego jam supplex procumbam, atque oscula figam
Parietibus sanctis, spargamque hoc pulvere crines.
Adspice me superis e sedibus, adspice, virgo
Prostratum, atque imo gemitus ex corde cientem,
Et pectus tundentem, & fletibus ora rigantem:

Neu,

Neu, quanquam culpis adopertum turpibus, arce
Adſpectu me diva tuo : ſi pectore toto
Te veneror, ſi te, dubiis in rebus, ad unam
Confugio, teque auxilium ſanctiſſima poſco.
Poenitet ex animo vitae me Diva prioris
Poenitet, & meritas horret mens conſcia poenas.
Quod niſi tu caſto pendentem ex ubere natum
Concilias, placaſque mihi, quo tendere curſum
Quove malis feſſam tentabo advertere puppim?
At tu namque ſoles, placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapſis mitiſſima rebus.
Certe equidem tota pendentes aede tabellas
Adſpicio, quae te miſeris praeſto eſſe loquuntur.
Hic, te animo ſpectans, torrentem viſcera febrim
Depulit, ille hyadas triſtes, hoedumque cadentem
Spectavit tutus, vertentibus aequora ventis,
Et duce te patrias enavit ſalvus ad oras.
Criminis ille reus falſi, ſub judice duro,
Dum mortem exſpectat, tenebroſo carcere clauſus,
Munera Diva tuo detecta fraude, reviſit
Uxorem, & natos, exoptatumque parentem.
O ego nunc morbis multo gravioribus aeger,
Naufragiumque timens longe exitioſius illo,
Et jam pridem animum peccati compede vinctus,
Si poſſim morbis liber, vincliſque ſolutus,
Fluctibus & ventis laceram ſubducere puppim:
Quas tibi laetus agam grates, dum vita manebit?
Te, cum luce nova ſparget ſol aureus orbem,
Te recinam, quoties abſcondet opaca polum nox:
Et tua precipuo venerabor numina cultu.

TIBUR.

QUICUNQUE Herculei ſpectabit Tiburis arces,
Qua pater Hippolytus, ſacri pars magna ſenatus,
Cura Deum, loca perpetuo prius aſpera ſaxo
Molliit, & leni juſſit miteſcere clivo,
Omnia deprendet longe ſuperantia famam.
Nec tam regifico conſtructa palatia ſumtu,
Auroque illuſas aedes, radiataque tecta,
Quam ſemper virides mecum admirabitur hortos,
Et gelidos fontes, & aquam in ſublime volantem,
Seque in multiplices vertentem, ut Protea, formas.
Praecipue tamen illi animum novitate movebit
Exciſus, res mira, ſilex, rupeſque cavatae,
Et via facta manu longi per viſcera montis:
Qua ſe Anio pater inſueto pervolveret alveo.
Qui longum per iter tenebroſo tramite lapſus,
Exit, & arboribus gelidae non invidet undae.
Stant habiles propter Nimphae, lymphaſque paratis
Exceptas vrnis in vaſa capacia fundunt.
Parte alia ipſe ſuis altricibus adſtat Jacchus,
Maternique memor caſus, flammaeque paternae
Gaudet aquis, illiſque libens ſua munera miſcet.
Dum ſtupeo, tam multa videns miracula rerum:
Ecce novus procul alituum concentus ad aures
Fertur, & inſolita mentem dulcedine tangit.
Adſpicio: & greſſum propius fero, corpora cerno
Parva ex aere avium, aeratis nitentia ramis,
Daedala queis variam tribuit ſollertia vocem.
Quamcunque adſpicias, deluſus imagine, veram
Eſſe putes volucrem: niſi quod non evolat uſquam:
Sed ramis affixa ſuis cantu aethera mulcet.

At

At verae mirantur aves : &, cedere dum ſe
Turpe putant, liquidis late omnia queſtibus implent.
Hic Lucae egregius labor eſt, quem Sequana partu
Ediderat, Siculi renovantem inventa magiſtri.
Quid? quem non moveat cygnum mentitus adulter,
Illudens ſimili ſpirantem e marmore Laedam,
Deliciiſque ſuis, & aquarum murmure laetus?
Multaque praeterea veterum ſimulacra Deorum,
Artis opus priſcae, cunctos verum arduus inter
Eminet Alcides: qui ſpectans omnia circum,
Heſperidum veteres hortos prae Tibure temnit.
Sed quid ego haec verſu nequidquam includere tẽto?
Jampridem exiguum praeſcripti carminis orbem
Exceſſi: & dictis ſemper majora ſuperſunt.

IDEM.

DELICIAE veterum Tibur voluentibus annis
Conciderat, priſcum perdideratque decus.
Et nuſquam rivi, nuſquam pomaria, nuſquam
Ulla ſuper tanti ſigna decoris erant.
Illa loca antiquis toties celebrata poëtis
Horrebant turpi ſqualida facta ſitu.
Moerebant erepta ſibi ſua gaudia Nympae,
Languentes Anio moeſtus agebat aquas.
Omnia tempus edax ita deformarat, ut hoſpes
Quaereret in medio Tibure, Tibur ubi eſt?
Non tulit hanc ſpeciem divini pectoris heros
Hippolytus, ſacri gloria magna chori.
Ille loco ſenium abſterſit, vultuſque priores
Reddidit, & ſolito juſſit honorẽ frui.
Illius imperio juſſae revireſcere ſilvae.
Caeperunt ſparſis luxuriare comis.

Ille

Ille novos paſſim fontes emergere juſſit.
  Nec mora fit : fontes proſiluere novi.
Quos circum ſtatuit priſcis egeſta ruinis
  Plurima Phidiaca ſigna polita manu.
Ipſe Anio frontem pallenti incinctus oliva
  Affuit, & proprias conſociavit opes.
Jure igitur fonteſque ſacri, ſilvaeque virentes
  Certatim Hippolyti nomen ad aſtra ferunt:
Et, quoties molli increpuit levis aura ſuſurro,
  Hippolytum alternis vocibus ingeminant.

AD ANTONIUM MONTECATINUN.

TANDEM querelis pone modum tuis,
  Et fata moeſtis invida vocibus
  Clamare, crudeliſque Divos
  Cum gemitu lacrimiſque parce.
Nam, quid Lycei juverit avios
  Luſtraſſe ſaltus, fontibus ac ſitim
  Ex vulgo inacceſſis levaſſe,
  Ingenioque adiiſſe Divos.
Si mentis iſtud praeſidium tuae
  Perrumpit, & ſeſe intus agit dolor,
  Imiſque fervens in medullis,
  Te quaſi perdomito triumphat?
Magnam doloris fata quidem tibi
  Cauſſam obtulerunt, quae tibi cognitum,
  Longoque carum uſu ſodalem
  Hannibalem ante diem abſtulerunt.
Qui quamquam avitis ſat titulis domi
  Foriſque clarus, non tamen id ſibi
  Satis fore ornando putavit,
  Ni proprios etiam ipſe honores

La-

Labore magno quaereret impiger,
Comamque lauro duplice necteret,
Et qua ferox Gradivus. & qua
Pulcher Apollo suos coronat.
Heu quis Deorum mentibus addidit
Famae illam honestis immodicam sitim?
Quam saepe multis illa tristem
Funeris acceleravit horam.
Sed, quorsum inanes jam querimoniae?
Ille ipse, quem urges questibus, Hannibal,
Felix, & insertus Deorum
Concilio, mala nostra ridet.

P. FRANCISCO BENTIO.

BENTI, nihil me, sicut antea, juvat
Pervigili studio nil profutura quaerere:
Nec quas per urbes cautus, exciso Ilio,
Saxa Ithacae repetens, Laërtis errarit puer:
Nec quot Ithacenses circa pharmacis potens.
Vultu hominũ posito, grunire porcos jusserit
Curae magis mi est, lustra jam decem miser
Qualibus in vitiis defixus ipse erraverim:
Cum me, Dei vix jam manente imagine,
Mortifera induerat foedam voluptas in suem,
Quis me sequetur fructus, ubi pernovero,
Quot mala Grajugenis Achillis ira invexerit:
Si nesciam vesanus, in quae me mala
Praecipitem ira Dei, nisi resipiscam, actura sit?
Hei mi laboris, hei dierum ac noctium,
Quas memini in studiis me talibus consumere,
Male metuentem, ne quis usquam aequalium
Certius ac melius plures teneret fabulas.

Et tamen ab aequis non gravate improvida
Judicibus veniam fortassis aetas impetret.
Sed nunc columbis concolor cum sim caput,
Et mihi sarcinulas brevi legendas sentiam,
Nisi meliora mente tota cogitem:
Bis puerum merito, Francisce, me vocaveris.
Beatus ille, quem juventae in limine
Abstrahit a vitiis ipse & sibi adstringit Deus.
Nec tamen habendus ille in infelicibus,
Ad meliora, Deo vocante, qui venit senex.
Verum est poëtae nobilis verbum vetus:
Si bene quid facias, sero licet, prodest tamen.
Communi uterque gratias agat patri.
Sors tibi prima data est: mihi secunda contigit.

JO. MUTII AURELII MANTUANI, CARMINA.

IN D. JOANNIS BAPTISTAE.

NASCERE, quid cessas dudum? cunctisque petitum
Votis redde diem veniens age Lucifer almum:
Dignum quo possit superum favor omnis in unum
Congessisse virum quodcunque est ulla potis vis,
Quoque olim non te pigeat vatum optime nasci.
Quem caelo ex alto superum Rex tempore, quo se,
Venturus tandem populorum orbisque saluti,
Jam jam hominis faciem, & mortales induere artus
Certus erat, terris quondam praemisit habendum:
Dum

Dum nos interea ſolemnes dicere laudes
Aggredimur, vatiſque pii celebramus honores:
Ille quidem in ſilvis, perque avia luſtra ferarum,
Propter aquam, & vario depictas gramine ripas,
Pulcer ubi, fluvioque ingens Jordanis amoeno,
Collibus e curvis per pinguja culta volutus,
Exercet curſu latices, ſimul & ſecat arua,
Florem aevi totum primis exegit ab annis.
Divinis animum curis & pectora plenus,
Magna Deo, populoque docens inſtantia fata.
Non illum veneres, non illum pocula Bacchi,
Non epulae flexere ullae, non purpura dives,
Verum undas hauſitq; manu,& quas plurima ubique
Fundit humus, teneros decerpſit graminis herbas,
Horridus, hirſutoque humeros contectus amictu.
Illuc, ut perhibent, diverſae atque agmine lato
Certatim coëunt gentes, atque inde reverſae
Haud dubia ex dubiis referunt oracula rebus:
Deſeritur Solyme,linquunt Hierumque,Thenaque,
Arua Palaeſtinae, palmoſaeque oppida Idumes.
Undique conveniunt, & inhoſpita rura frequentant.
Ille autem ſuper his, ripas lucoſque ſilentes
Inſuetum multo calefactus pectora Phoebo
Perſonat, & vacuae reſponſant omnia valles:
Nunc pater e ſummo claram demittit Olympo
Progeniem,aetherei monimentum & pignus amoris.
Jamque aderit Deus, ecce Deus. quae tanta moratur
Segnities? quae tanta animos dementia fallit?
Ite, agite, & ſuperum venienti occurrite Regi:
Quamque viam inſtiterit, terras regna ultima viſens
Certa dei ſoboles, ſtudiis ingentibus illam
Sternite:nunc opus eſt animis,nunc mentibus aequis,
O multum monitique mihi, multumque monendi,

Spernite opes, inquam, ac variarum nomina vana
Delicias rerum, & contagia divitis auri,
Versantisque orbem, & mortalia cuncta trahentis,
Otia, desidiam, saevique Cupidinis arma.
Felix qui potuit Cereris contemnere dona,
Et latices Bacchi, morbos & bella ferentes,
Ac tolerare sitim, & jejunia longa suetus,
Corpoream imminui molem, & mortalia sensim
Membra tulit, gaudens vinclis & carcere caeco,
Exonerasse animum, ac volucrē super aethera ferre.
Huic saepe insomnis primum se se obtulit ultro
Ipse deum genitor, ultro docuitque futura,
Mox etiam atque etiam claro se lumine passus
Contingi, eloquio ardenti, aspectuque beato
Affulsit, sanctumque inspirans ossibus ignem,
Divina implevit penitus dulcedine mentem.
Usque adeo magni mentem facit aethere natam,
Ardua conantem sponte, & praeclara volentem.
Haec & plura heros memorans populumq; patresque
Spargit rore levi, & felicibus abluit undis
Conceptas mundi labes ab origine prima.
Continuo mores suscepit, grataque servat
Posteritas, sacrumque pii coluere minores.
Ecce autem aetherei Regis certissima proles,
Pro mortali hominum genere & pro numine laeso:
Heu, fato indigno & crudelis vulnere dextrae
Projectura animam, & finem allatura malorum:
Dudum aderat, summique Patris praecepta docebat
Nota sibi, atque animos supera ad convexa vocabat.
Progeniem quoniam immeritam cunabula mundi
Post geniti, ob noxam primique errata parentis,
Damnatam omnipotens poenas expendere jussit,
Terribilique hosti divûm concessit in iras.

Hunc

Hunc ſimul aſpexit juvenis, & fluminis alveo
Terque quaterque manu liquidas ſuperintulit undas
Reddita vox ingens reſerato e vertice Olympi.
Teſtatuſque ſacra praeſens pater alite Natum,
Intonuit late, tremefecitque aetheris arces.
Ex illo haud dubitas magnorum maxime vatum,
Solvere fatidicum os, & ſpem vulgare per agros
Adveniſſe hominum, certam requiemque laborum,
Pollicitique Dei toties mox teſtis adeſſe,
Unum prae cunctis, populis ſpectantibus ultro,
Et monſtrare manu & verbis ſignare volentem,
Viſa canens, monituſque datos pridē aethere ſummo:
Tu matri, tu vocis adhuc & luminis expers
Prima utero exultans foeto das ſigna ſupremi
Adventu ſuper Herois, magnamque parentem
Pandere res altas, ſummique arcana Tonantis
Decreta, & volucrem ſupera de gente miniſtrum,
In medio viſumque die auditumque fateri
Impellis. tua ſidereus facta optima Natus
Mox probat, & cunctis praefert mortalibus unum
Te vatem. o longe melioribus optime ſaeclis
Nate Pater, meritoque aſcriptQe uiritibus olim
Caelicolis, ſuave o regi gratiſſime Divum,
Ac nos compoſito celebrantes carmine laudes
Rite tuas, pariterque preces ac tura ferentes,
Nunc vides quanto moveant fera bella tumultu
Crudeles animae? ſaeva illinc arma Britanni
Expediunt; ſolidas latis Hiſpania terris
Cum populis urbes effundit, & omnia verſat:
Hinc Gallorum acies, & prodiga corpora vitae,
Caedis amor, ferrique armat ſcelerata cupido,
Inter utroſque facem intentans diſcordia ſaevit,
Impius armatos ſtimulat Mars, & furit ingens.

Ah, ne iterum tanto concurrant agmina motu:
Ah, ne iterum largo pinguescant sanguine campi.
Has tu iras, atque haec imperdita corpora bellis,
Quae dudum Ausoniae cierant in viscera reges,
Verte hostem in Turcã, superis det sanguine poenas
Cizicus, & populi quos dividit Hellespontus.
Aequius huic fuerat nostra arma opponere genti:
Hunc tu animis pater accensis immitte furorem.
Ecce tibi Decimus praeses simul & decus orbis,
Afflictis quem vos rebus saecloque ruenti,
Auxilium caelo properastis mittere ab alto,
Augusto ingentes voluit sub pectore curas:
Jamque Scythas vexat bello, atque amissa reposcit
Regna animo, mox excidiumque stragẽque daturus,
Actutum valido complebit milite campos:
Olli igitur vires ultro se ad bella paranti,
Quo sine nulla super miseris mortalibus est spes,
Sufficite, ipse animosque sibi, mentemque ministret.
Nunc o quique Hebri, vitreas & Strymonis undas,
Quique bibunt Xanthum, & fluctisonum Simoënta.
Quosque aliis longe positos in partibus horrens
Caucasus hinc, illic prospectat maximus Atlas,
Agnoscant veri tandem praecepta Tonantis,
Et fluvio discant natos mersare salubri,
Teque adeo ante omnes unum, tuaq; arma tremiscãt
Nota nimis miseris ac caede inspersa suorum.
Testis clara Rhodos, facti non immemor unquam,
Cum late implerunt campos, passimque per herbas
Agmina multa virum jacuerunt aequore toto,
Carpathiique maris foedarunt sanguine fluctus.


AD LEONEM DECIMUM PONT. MAX.

DUM tu orbem immensum paribus compescis habenis
Atque animo terras prospicis, & maria,
O Decime afflictis tandem pater optime rebus,
Praesidium extremis reddite temporibus:
Totque tuo ingentes concursant pectore curae,
Quot fluctus vasto gurgite pontus habet.
Nos tibi sic inter tantarum culmina rerum,
Actutum toto fluximus ex animo,
Sicque leves jactant promissa tot irrita Cauri,
Ut folia autumni tempore ventus agit,
Quae simul occursant inter se, & praelia miscent,
Post tandem ad terram ex aëre crebra cadunt:
Atque haec praeteriens calcat neglecta viator,
Non gregibus, non his parcere cura homini.
Interea exercet me me, nec desinit unquam
Pauperies omnes mi facere insidias.
Cuncta minatur enim misero mala, Juppiter atrae
Ut paupertatis omne genus pereat.
Quae mihi nec suaves Musarum expromere cantus,
Nec finit a tanto mentem inhibere malo:
Sed duras curarum inter stipata cohortes
Urget, & hoc semper vexat acerba caput.
Cujus dispeream, similis si pestis in orbe est,
Tristius aut quicquam Tartara nigra pavent.
Quinetiam Stygium hacce Jovem torquere nocentes
Fama tulit, nudas cum jubet esse animas.
Non gemmarum infra, non usus divitis auri,
Nec quisquam nuda corpora veste tegit:
Non ve dapes adhibet mensis, non dulcia vina,

Aſt tenebras late, ſqualidaque arva ſitu
Gens colit : hanc durum quatiens inſana flagellum
Inferna excruciat per loca pauperies.
Tartarei ex vultu pendet ſuſpenſa Tyranni
Pallida, & ad poenas, quos cupit ille legit.
Innumeras peſtes atque agmina ſaeva ſororum
Immittit miſeris perpetuamque famem;
Hanc trepidae aſpicientes quantũ horrẽt animae,& quã
Optarent votis tunc quoque, poſſe mori.
Nuſquam illic urbes, nuſquam illic tecta, maligno
Sub Jove Regem etiam durum habitare ferunt.
Contra autem ex aura atq; ebore alti in vertice Olympi,
Summa nitent claris atria caelitibus.
Hic paſſim toto diffundit Copia cornu
Ambroſiaſque dapes, nectareumque merum,
Plauſibus ac caelum vario late undique cantu,
Perſtrepit, & laetas numina agunt choreas.
Huc dii fulgentes magni cum veſtibus aureis
Conveniunt, ſummo ſtat pater in ſolio
Juppiter, & ſuperis edicit jura vocatis,
Divino mulcens ſidera colloquio.
Diſpoſitos ſic infra olim ſede editus alta,
Conſcriptos cernis, numina veſtra patres,
Cum tu Oratores, per quos tibi ſupplicat orbis,
Atque tuo ſeſe ſubiicit imperio,
Excipis, illi autem placidum ſibi numen adorant
Proſtrati, & ſacris oſcula dant pedibus:
Dein divina domum redeuntes juſſa reportant,
Quaeque alia externis regibus ac populis,
Pectoris e ſancti penetralibus abdita profers,
Suſpenſis captant quae prius auriculis.
Quare quid mirum eſt, ſi aurum quoque judicibus diis
Vulgus amat, largas divitiaſque probat?

Ut

Ut quae unae valeant facere ac ſervare beatos,
Et dare compoſiti laetitias animi:
Quaeque etiam veluti me inviſum deſeruere,
Jactatumque maris fluctibus in mediis,
Quod neque jam dignatur opem Ramnuſia virgo
Ferre, nec ulla hominum pectora conſilium.
Atqui olim non me haec miſerum ſperare jubebas,
Degere ſed diſcincta otia Pegaſidum:
Multaque quae veſtro mihi nomine rettulit olim
Hadriaci Bembus gloria magna ſoli,
Bembus amor Muſarum, & Palladis ultima cura,
Caſtalio Bembus potus in amne pater,
Omnibus his qui te, te unum jam praetulit, uni
Dulcia Pieridum numina poſthabuit,
Quae nunc aerei ſub verticibus Parnaſſi
Te ſibi flent tantum ſurripuiſſe decus.
Da mi igitur dextram, meque hoc ex turbine mentis
Totque aerumnoſis eripe vorticibus.
Hoc tibi reſtat opus, hoc eſt tibi perficiendum:
In te uno eſt una, atque unica noſtra ſalus:
Quod ſi non aequa haec mea carmina reſpuis aure,
Verbaque das rapidis irrita ferre notis,
Me neque tantillum, quantum eſt ſervare deorum
Jam poterit, non ſi mox velit ipſa ſalus:
Quin totis penitus fortunae abſorptus in undis,
Protinus ingratos ore bibam latices.



PE-

PETRI CRINITI
CARMINA.

NAENIA DE OBITU LAUR. MEDICIS; AD JOAN. PICUM MIRANDULAM.

ECQUIS perpetuis constituet malis
Finem ullum; ut valeam reddere me mihi?
Pridem sepofui dulciloquam chelym,
Et blandos Charitum modos.
Accedunt miseris funera luctibus,
Nec quicquam Superos flectere victimis
Fas est, ut video: sic placitum Jovi,
Qui nutu regit omnia.
Heu noster Medices, Italiae decus
O Pice interiit: vae misero mihi.
Lugete Aonidum qui colitis sacra,
Et qui pro veteri fide
Virtutis pretium rite reposcimus.
Nam quis tam rigido pectore barbarus;
Immanique animo, quin videat statim
Sublatum columen bonis?
Hic solus patriam consilio gravi
Undantem variis fluctibus extulit:
Nil diram veritus (discite posteri)
Regum saevitiem & dolos.
Hic se pro pavidis civibus obtulit;
Hostilemque aciem robore pectoris
Perfringens, viridi tempora gramine
Cinxit; dum sibi non putat
Parcendum, ut Latio praesidium ferat.

Heu

Heu heu quam volucri decipimur bono!
Incassumque pii; ut qui nimio ambitu
Surdos distrahimus Deos.
At tu moesta novis, patria, lacrymis
Indulge: nec enim cernere adhuc potes,
Quantum mox miseris civibus imminet
Fatorum gravis exitus.
Disjecta horrisono marmora fulmine
Templorum, & nimium dira tonitrua
Non frustra exitium terrificis minis
Portendunt patris Deis.
O fallax utinam mentiar augur, &
Non vero auspicium carmine proferam.
Tu, Pice, interea desine conqueri;
Et parce imperio Jovis.
Quod si non alius mox aderit Deus.
Extinctum Italiae qui reparet decus;
Et Phoebum cupiat sedibus Aonum
Transferre in Latios lares:
Consiste in veteri praesidio tamen
Virtutum; & quod habes auspiciis tuis
Jam partem, in tacito contineas sinu;
Felix sorte tua satis.
Nam mitto tot opes ingenii & sacrum
Foecundi genium pectoris; & simul
Praeclaris animum dotibus arduum,
Quo certum statues gradum.
Sed me sub tenerum tempus adhuc, velut
Surgentem viridi robore palmitem,
Caeli saevities invida perculit,
Dejecitque bonam indolem.
Sic decussa jacent brachia viribus
Allisis; neque posthac animo pari

Au-

Audebo ingenium tollere; nec licet
Sperare ulterius mihi.

DE SUA QUIETE POST MULTAS CALAMITATES.

SI QUIS in tantis hominum procellis
Inter & curas, variosque casus
Gaudet assertor fidei decoram
Carpere vitam:
Hujus exemplum sequar expeditus;
Et meos vitae melioris annos
Liber ad certam referam quietem
Cultor honesti.
Cautius posthac mea cymba cursum,
Acta per Syrteis scopulosque duros
Solvet, & nullos temere insequetur
Aequoris aestus.
Profuit saevae rabiem Charybdis
Atque vesanos adiisse fluctus;
Gratior tamdem foret ut voluptas
Visere portum.
Integram fessi melius quietem
Sentiunt: blandus pluviis relictis
Redditur Paean; nitidumque lumen
Pandit Olympi.
Illud in primis Superos precamur,
Vita dum nostrum comitatur aevum,
In sacris totum ut liceat Camoenis
Ponere tempus.

AD

AD AVITUM DE INNOCENTIA VAVUM.

AETERNA vatum pectora mollibus
Mulcentur auris. nam cithara gravi
Phoebus decorem Castalium instruit.
Vates, verendo pectore nobilis,
Vel fata pandit, aut tripodes sacros
Grato ac perenni carmine concutit.
Non illum, Avite, plebis inertia,
Aut insolentes, heu, animi movent:
Sed ipse felix perpetuis bonis
Paret Camaenis,. & placidam simul
Mentis quietem molliter occupat:
Virtuti amicus, nil reliqua aestimat.
Hunc saepe Pallas Gorgonis immemor
Secernit inter prata virentia;
Et fronte sacra tempora vinciens,
In alta passim sidera sublevat:
Qui mox receptus Pieridum choris
Depromit audax Palladium melos.
Sic aestuanti liber ab ambitu
Livoris atri despicit impetum;
Vulgique luxum, & desidiam procul
Tutus relinquit. Namque Heliconidum
Carmen beatis concipit auribus,
Quo fata rerum perpetuo vigent.

DE SUA AEGRITUDINE, ET IMMINENTI OBITU.

NIL est quod ultra sit licitum mihi
Sperare tamdem, nil medicae manus

Ex

Ex imminenti me miſerum rogo
Referre incolumem queunt :
Et jam medulis aeſtuat intimis
Accenſa billis, nec patitur meo
Unquam dolori finem aliquem dari,
Sed vexat magis in dies.
Obducta frontis lumina, per genos
Delapſa tetra cum macie cutis,
Et deſtitutae mentis inertia,
Inſtare exitium monent.
O quantum inanes illecebrae anxia
Paſſim virorum pectora diſtrahunt!
Quantaque rerum mole peraeſtuat
Humani generis lues!
Quam ſaepe dixi, Martia principum
Cantabo geſta, & ſaeva per Auſones
Gallorum ab altis Alpibus agmina
Educta in Latios duces!
At nunc parato funere frigidus
Per Membra ſudor labitur, & meum
Flammis cadaver rite puer ſacris
Jam componere deſtinat.
Et Cypri odores, thuraque maſcula
Inferre lectis oſſibus, & levi
Cum rore lymphas ſpargere, quo ſua
Reddatur cineri quies.
Ergo ſub annos praevirides mihi
Solvetur atro ſanguine ſpiritus?
Nil eſt reluctandum Superis: libens
Quod fata annuerint ſequor.
Non ille cuiquam flebilis occidit,
Quem vitæ honeſtas, & fidei decor
Inter ſacrarunt numina Caelitum,

Expertem gravis ambitus.
Sed fessa tamdem lumina mors tegit:
Tu me, Deorum summe parens, velis
Vatem beatis sistere sedibus,
Ut sacros referam choros.

DE NATALI MUSARUM.

FAVETE linguis, posteri,
Non ante dictum vatibus
Cantare carmen molior,
Sacris receptus delubris.
Apollo nunc spirat Deus.
Procul profanos pellite
Arcana dum fiunt sacra.
Adeste vati coelites,
Debetur hic Musis honor,
Quem festa rettulit dies:
Pro quo tot annos pallui.
Lux haec decora claruit
Dicata priscis vatibus,
Qua molliter gratum melos
Aeterna protulit chelys.
Lucina ridens adfuit,
Et crine Phoebus aureo
Vocavit ad certos modos
Selecta caeli numina.
Tum laeta substitit Cypris,
Et candido vultu Charis
Induxit almis cantibus,
Ut vos sacraret aetheri.
Sed & Deorum maximus.
Et optimus rerum pater

Vos

Vos fovit ulnis mollibus,
Interque mille suavia
Leni decenter spiritu
Deduxit ad sacrum nemus
In quo volantis Pegasi
Liquor perennis effluens
Nitescit undis gemmeis.
Hic collocatas primitus
Dulci replevit nectare:
Inque alta jussit sidera
Secum volare protinus:
Unde entheum fluxit melos,
Et grata Siren aurea
Refecit orbem naenia.
Vobis Camoenae viximus,
Vobis perennes gratias,
Sacrumque carmen reddimus,
Servate dum licet precor
Devota vobis pectora,
Seu grata Delos detinet,
Seu Cynthius pulcher vocat:

BELISARII
GADALDINI
CARMINA.

IN FOEDUS ICTUM INTER PRINCIPES CHRISTIANOS.

CLARIOR en solito exsurgens natalibus undis,
Cynthius afflicto passim nova gaudia mundo
Nuntiat,

Nuntiat, haud sortis, venturique inscius aevi:
Scilicet ut Reges inter sancita fideles
Foedera sint hodie Venetam vulganda per urbem.
Surgite io juvenes, manibus date lilia plenis,
Spargite humum foliis, Superumque altaria Divum
Muneribus cumulate piis pro munere tanto.
O quae fatidicae nobis felicia Parcae
Tempora promittunt! o quae secla aurea surgent!
Cum Libyae extremo devictus Marte Tyrannus
Occidet, atque omnes una cum nomine Turcae.
Cernite, ut ante alios firmati foederis auctor
Ipse ingens pietate *Pius*, cui Rector Olympi
Turbine in hoc tanto terrae commisit habenas,
Florentes populos inimica in praelia mittat:
Quot Rex Hispana gentes tellure Philippus
Effundat bello assuetas, & fortibus ausis:
Quot Veneti cogant acies peditumque equitumque:
Italaque ut pubes animis ardentibus arma
Arma fremat; raucoque simul clangore tubarum
Et nemora, & silvae reboënt, collesque supini.
Parte alia, innumerae, leviter spirantibus Austris,
Carbasa tendentes scindunt vada coerula, puppes,
Barbaricamque petunt concordi foedere classem.
Qui tibi nunc hostis cernenti talia sensus?
Quove metu trepidas? cum litora fervere late
Prospicias, totumque dehiscere classibus aequor?
Siccine jactabas tete, dum foedere rupto
Adriacis partem Cypri multo agmine nuper
Cepisti? tumidusque novo praecordia regno
Non hominum; non ulla Deum saeva arma timebas.
Jam video Oceano in magno concurrere utrinque
Ardentes in bella rates; classemque rebellem
Funditus everti; vastumque tumescere pontum;

Dum rapido fractas absorbet gurgite naves,
Scuta virum, galeas, devotaque corpora morti:
Inde Dei classem victricia signa movere,
Fervidus angustis qua faucibus Hellespontus
Aestuat, & longo sulcat duo litora tractu:
Hinc equitum turmas; peditumque hinc ire catervas
Regnisque & populis stragem exitiumq; minantes.
Euphratem, Gangemque metu trepidare sub imis
Fluctibus, & septemgemini tremere ostia Nili.
Jam video exanimem pulso cum milite terga
Vertere, & ad Scythicos cursum contendere saltus
Selimum, ac sese extremis abscondere silvis:
Illum sectari Hesperios, animamque nefandam
Eripere, & media resupinum linquere arena;
Atque ita devictis divino nomine Turcis,
Urbibus eversis, totoque Oriente subacto,
Victores praeda immensa spoliisque potitos
In patrias urbes magnis remeare triumphis.
Tunc foliis redimita comas felicis olivae
Candida Pax late populos inviset ovantes,
Quam pia Relligio incessu comitabitur aequo.
Tum fera bellandi rabies, & tristis Erinnys,
Tum Maomethaeae exitialia semina pestis.
Tartareasque domos, horrentiaque antra subibunt.
Aureaque laeto nascentur saecula mundo,
Saecula, quae ventura olim volventibus annis
Veridici vates praesaga mente canebant.
Surgite io juvenes, manibus date lilia plenis,
Spargite humum foliis, Superumque altaria Divum
Muneribus cumulate piis, pro munere tanto.

SU-

SUPER EXCIDIUM BARBARAE CLASSIS, TABELLA DEPICTUM.

QUIS violare ausit irato foedere pacem:
Regna aliena jugo premere, atq; excindere gentē
Immeritā; patremque hominū, patremque Deorum
Temnere, & immemorem sceleris putet esse nefandi?
Ah te ne tanti rabies vesana furoris,
Exagitet, quicunque pii moderaris habenas
Imperii: tenet ipse pater memor omnia mente,
Et meritas sumit maturo tempore poenas.
En Asiae Venetis polluta pace Tyrannus,
Urbibus eversis, ingenti caede peracta,
Contemtis victor Superis, tumidusque secunda
Sorte ruens, totumque fatigans classibus aequor,
Ut cursu cadit in medio, victusque repente
Sternitur, ac poenas auso pro crimine pendit.
Non haec consilio humano, & mortalibus armis
Proveniunt; Deus ipse, Deus post funera mille,
Post mille exhaustos terraeque marisque labores,
Nos tandem adspiciens, aeterno foedere pacis
Ter geminos junxit Reges, tria fulmina belli,
Armavitque pias caelesti robore mentes,
Et dedit indomitas hostis contundere vires.
Cernis ut Ionio concurrant aequore utrinque
Frontibus adversis inimica in bella triremes,
Ac vario ardentes ineant certamine pugnas?
Infracti utque duces Orientis, & agmina late
Hesperio sub Marte cadant? congestaque classis
Centum annis, centum victrix successibus una
Luce ruat? viden' infectas quam multa per undas
Telaque Threiciosque arcus, Lyciasque pharetras

Verset, & hostili turgescat sanguine pontus?
Pasce oculos, animumque tuum, miroque labore
Artificis fruere, ac partis laetare triumphis,
Te tamen hoc unum semper praeque omnibus unũ
Admoneant, miseris quantum mortalibus obsit
Justitiam, & summi Regem contemnere Olympi.

CAROLI MALATESTAE

NEREIDUM CANTUS AD JOANNEM AUSTRIACUM.

Litore cum primum classem deduxit Ibero,
Et cursum Hesperiae magnae convertit ad urbes
Invicti soboles pulcerrima Caesaris Heros
Austriacus; mediis illi Nereides undis
Laetitia oblatae ingenti, plausuque fremebant.
Alma quibus myrrhae Tethys fragrantis odore
Sparserat effusos humeris a vertice crines;
Et studio incumbens cultuque ornaverat omni;
Muscosos subter thalamos, & murmure rauco
Assidue flantis Zephyri, fluctuque strepentes.
Quos intra aequoreae celebrant convivia Nymphae,
Oceanoque patri caelesti nectare libant;
Unde abeunt laetae; si quando e gurgite vasto
Prodire, egregiisque viris occurrere gaudent:
Ut perhibent culto divini carmine Vates
Argolicis illas Heroibus occurrisse,
Qui primi indomitos ausi transmittere fluctus,
Et tumidum curva pelagus sulcare carina,
Velleris aurati spolium, laudemque petentes:
Utque ferunt multis manifesto in lumine visas;
Auditasque simul; Carolo trans aequora vecto
Dum

Dum comites irent, quaſcunque adverteret ille,
Auſtriadum famam protendens victor, ad oras.
Illae igitur magni memores Herois, ut ipſum
Viderunt juvenem gemmis, oſtroque decora
Inductum chlamyde, atque auro fulgentibus armis;
Quem proceres circumſtabant, & lecta juventus,
Actutum agnovere; alacreſque attollere voces
Exorſae, has illi referebant ordine laudes,
Aonio late mulcentes aequora cantu:
Advenis optatus nobis *Dux* inclyte votis
Omnibus, ac laetam venienti adſurgere jam nunc
Italiam cernes, quo te laus excitat ingens
Inſtructumque opibus ſummis, & claſſe potentem
Auſpicio Divum quo te Rex maximus Orbis
Mittit, ut auxilio populis florentibus adſis,
Praeſidiis auctos, veſtro pro foedere, qui ſe
Cum videant tantis, jungant quas protinus omnes
Expediunt nuſquam dejecti in proelia vires.
Tum qui muneribus, duriſque laboribus actis
Militiae praeſtant obeundis, undique claro
Exciti ſonitu, coeunt inſignia laeti
Sub tua, quae media praeferſ exſtantia puppi.
Hos animi praeſtans inter, pulcriſque ſub armis
Conſpectus ſeſe Farneſius inferet Heros,
Romulidum commiſta Duci de ſanguine claro
Quem ſoror in lucem ſimul edidit ac tua; partu
Felici Aeneadumque Urbem, & Latiũ omne beavit.
Hunc gladiis accincto phalanx comitatur acutis,
Et juvenum magna primi cinxere caterva
Bellandi ſtudio quoſcunque aut Martia Roma
Inſtructos ferro primis eduxit ab annis.
Aſſueti quicunque graves obiiſſe labores
Venantum: rapidoque feras praevertere curſu

Eridani latis campis, seu rupibus altis
Praecipiti fertur quas inter flumine Tarus.
Ipsa tibi auxilio transmittit & Umbria pubis
Laeta Ducem, floremque suae. quem laudis avitae
Accendit stimulis haud mollibus aemula virtus.
Ultro aderit magni monitis, opibusque parentis,
Tum propria fidens virtute ac pectore forti.
Tyrrheno exultans jam nunc & litore sistit
Advectus celeri montana per oppida cursu.
Huic & amore pari, cognato & sanguine junctus
It comes insigni forma, & florentibus annis
Spectatus puer. Etrusci genus accola ponti.
Quem studio observat multo, placidoque parentis
Laeta sub imperio, nec segnes exigit annos.
Gens dura, & manibus duros convellere montes
Rupibus, immanesque exscindere sueta columnas,
Quae Parium vincant marmor candore nivali.
Quin Tiberis pulcra comitatus ad ostia classe,
Caelatam clypeo fulgenti ex aere columnam
Arduus attollens, sese foret obvius Heros
Inclytus. haudquaquam mentis confidere sanctae
Consilium veritus Pater est, cui Maximus ille,
Plurima quem sacri penes est custodia cultus.
Nec non & praestantem animi dimittere ad urbem
Egregiam, Adriaci egregiam decus aequoris Urbem,
Nimirum invigilat sancto dum foedere Patris
Provida mens Urbi Regem adjunxisse potentem.
Nunc etiam voti compos, hunc omnibus auctum
Auxiliis, ducis & defunctum munere summi,
Victorem, bello toties, clarumque triumphis.
Cominus auspiciis laetis immittit in hostem.
Quisque igitur quanto divinae laudis amore
Accensus

Accensus magis, hoc propius fortissime Ductor
Ille tuis comitem properat se adjungere signis:
Seu pulcra Ausonia, regnisve oriundus Iberis.
Quos tu consilio prudens moderabere multo.
Et tua per benefacta oculos volventibus illis
Ardua quaeque dabunt Divi superare ferendo.
Sic tibi magnanimi fuerint monimenta parentis
Obvia, flectenti quaecunque ad littora classem.
Tum memori recolens animo sua fortia facta
Invia nulla tuae virtuti erit aequoris unda:
Obstabuntque tuis nullae conatibus urbes,
Extremos donec protendas victor ad Indos
Austriadum nomen terris fatale regendis.
Ite igitur summi ductu Ducis, ite frequentes
Invicto Proceres spectati robore, & armis.
Quaque viam virtus aperit, qua gloria vobis
Monstrat iter, spondet qua Jupiter ipse triumphum
Hostibus insignem victis contendite cursu.
His dictis finem facerent cum deinde canendi
Nereides, zephyrique implerent vela faventes;
Continuo nova lux pelago, terraque refulsit;
Heroumque Chorus candenti in limine caeli
Adstitit, ac roseum demisit ab aethere nimbum.
Felices animae mortalis tempora Lucis
Defunctae, quae nunc vita meliore fruuntur.
Rodulfus generis clari, Regumque Ducumque
Austriadum priscus pater: ac felicibus olim
Romanum Imperium fatis sortitus & alter,
Quod toties pugna victor superaverit hostes,
Jure Triumphator pulcro cognomine dictus.
Proximus huic, verũ spatio haud ita proximus aequo,
Justitiae, pacisque ante omnia cultor, & aequi
Longaevus Federicus, & hunc prope filius Orbis

Imperium aeque Justitia tutatus, & armis:
Connubio felix nati, felixque nepote
Post patrios Reges cui dives Iberia cessit
Austriaco commissa Deum haud sine numine, Regi.
Tu gemini fratres aevi duo lumina nostri
Palladis, & magni Carolus Mavortis alumnus,
Qui totum implevit factis illustribus orbem,
Augustaeque recens sobolis decus, & pater, & Rex
Optimus, ac veterum nulli virtute secundus
Ferdinandus. ab aetheriis qui sedibus omnes
Pro regali ostro, gemmisque, aurique corona
Caesariem stellis redimiti, ac luce decori
Ostendunt sese interdum mortalibus: & nos,
Nostraque nunc etiam solita pietate tuentur.

JOANNIS THOMAE
MUSCONII
CARMINA.

AD M. HIERON. VIDAM.

ECQUID erunt tanti divini carmina vatis,
Desueta ut tentem plectra movere manu?
Nam simul ac Divum monitu patrimonia liqui,
Et mea sunt sacro colla subacta jugo;
Nil mihi cum Phoebo, nil cum Permesside lympha,
Nec lauro placuit composuisse comas.
Nunc quid agam oppressus verbis, & pondere rerum?
Mene tuis sperem versibus esse parem?
Protinus ut fiant leviora gravissima quae sunt

Carmina, fitque minor copia, culta minus.
Hoc tamen ingenium, gravitasque leposque pusillum
Exsuperent; tantum hoc pectore noctis inest.
Si forte exspectas, tradam tibi chalcea tanquam
Titydes; tu dans chrysea Glaucus eris.

AD HIERON. TRECCHUM.

AERA mihi non sunt; & debeo plurima Trecchο
Quid faciam, ingrati ne putet esse animi?
Sarcinulas vendam? Nihil est. brevis auctio fiat
Ruris? erit nobis haec quoque summa levis.
Addicam libros, & quae mihi fidus Apollo
Dictavit quondam carmina. sed quis emet?
Quid faciam? certum est ingratum nolle videri;
Me dedam & certo foedere nexus ero.
Scilicet aeternam firmo ut devinctus amore,
Hic animus Domino serviat usque meo.

AD GENTEM ITALAM.

HOS jacet Italiae virtus dispersa per agros,
Frigida quos Rheni fluminis unda lavat:
Quae nec aqua periit, nec ferro, aut concidit igne;
Sed confecta gelu torpuit atque fame.
Martia turba, jaces infelix hic ubi victor
Romanus posuit magna trophaea parens.
Quae tot barbaricis spoliis onerata triumphos
Duxisti, aërias nunc alis, heu, volucres.
Quin & tempus erit, curvo molitus aratro
Germanus terram cum ruet ossa tua.
Quae super es manus, Italiam tueare, tuoque
Victrix ossa virum barbara conde solo.

DE CAESARIS IN GALLIAM ADVENTU.

OFFENSO est aufus Caefar fe credere Gallo:
Fallere quam poterat, praeftitit ille fidem.
Sit licet exemplum magnae virtutis utrumque;
At fervaffe fidem, plus, mihi crede, fuit.

DE VENETORUM URBE.

URBS Venetum, quis te pofuit? pofuere potentes
Caelicolae. nomen quis dedit? alma Venus.
Cur dedit alma Venus nomen? quia nata profundis
Illa Cytheriacis edita fertur aquis.
Quis tibi thefauros tot contulit? optima Juno.
Imperium pelagi quis dedit? ipfa Thetis.
Quid mirum, fi tot, fi tantis rebus abundes,
Urbs Venetum? magni te pofuere Dei.

AD JO. BAPTISTAM PALLAVICINUM.

NATURAE fuit egregium certamen, & Artis;
Clarus ut orator, Pallavicine, fores.
Utraque multa tibi, fed plus Natura leporis
Contulit; unde novo membra decore moves.
Verba fluunt, inftar rapidi torrentis, ab ore;
Quae pariter dulci voce manuque regis:
Adficis inde animos tanta dulcedine, rifum
Ut moveas populo cum libet & lacrimas.
Quis neget & filvas & faxa fequuta moventem
Orphea Treiciae plectra canora lyrae?
Creditur Amphion Thebas fide clarus, Apollo
Pergama vocali conftituiffe lyra.

Quid

Quid mirum? cum tu vocis modulamine volvas
Vulgus, & ad Superos saxea corda trahas?
Quae multis partita fuit, tibi contulit uni
Natura: Ars omni, qua potis, ornat ope.

AD JO. MUSONIUM.

QUOD mecum cupis esse, meosque subire penates,
Quodve tibi ut pateat janua nostra petis:
Quid tibi vis? Helicon doctis communis habetur
Vatibus, & sacrae Phocydos umbra patet.
Non Aganippaeo deterret ab amne poëtas
Delius, & Cyrrham non vetat ire Deus:
Tu tibi ne pateant non limina nostra vereris,
Idem Musarum quem mihi junxit amor?
Si sumus unanimes, studioque tenemur eodem,
Cur eadem non sit quantulacumque domus?
Si pater est Phoebus, si mater Pallas utrique;
Frater es. an nescis? hospitiumque vocas?
Fide, tibi de me promittens omnia; fratris;
Candidaque aeternum pectora frater ama.

EPIT. CAESARIS BARBOVIS.

CAESAREA Barbos Caesar virtute per hostes
Dum ruit, & forti praelia miscet equo
Concidit, & tutos cum posset habere receptus;
Maluit egregie, quam dare terga, mori.
Ergo avidum pugnae, properant dum perdere, vitam
Invida perpetuam fata dedere viro.
Inclytaquam spatium virtus si prorogat aevi,
Vita potest nulli longior ulla dari.

PRO-

PROSPERI COLUMNAE EPITAPH.

ARMORUM decus, & Latii nova gloria Martis,
Callidus in multos ducere bella dies,
Prosper humo hac tegitur; quem non manus hostica (pugnae.
In medio belli machina nulla tulit.
Paulatim morbo in plumis consumtus inerti,
Quem medicae Phoebus nesciit auctor opis
Non gemitus moriens, non edidit ore querelas;
Sed doluit, quod non contigit ense mori.

IN MORTEM BEMBI CARDINALIS
INCERTI AUCTORIS MOPSUS ET DORYLAS.

JAM rapidi medium caeli sol igneus orbem
Transierat, pronoque urebat lumine pontum:
Mopsus arenoso cum cedens littore moestus
Piscator, nullamque trahens ad littora praedam,
Despondere animum coepit, cymbamque reliquit:
Humidaque expandens per duras retia cautes,
Dum siccat cistasque leves, nodosaque lina
Sol ardens, vacuum iratus divertit in antrum,
Ingratos cupiens requie lenire labores.
Quo postquam ventum, rupes resonare querelas
Miratus, videt incurvo de littore tristes
Fundentem quaestus Dorylam, quo doctior alter
Non fuit, occulto deprendere gurgite pisces,
Et fundam jacere, & ponto trahere humida lina.
Accedensque inquit: MOP. Doryla, quem tristis ademtum
Sic gemis, ut flenti resonent tibi littora & antra?
DOR. Ne luctus, ne rumpe meos (respondit) & eheu,

Tu-

Tu quoque communem mecum turbatus amicum
Flere para, & noſtri miſerum morientis Jolae
Interitum: vitreis quem defluere ſub undis
Nereides: flevit vicina per aequora delphin,
Aſſuetos de more choros duxiſſe per undas
Non viſus, triſtique horret ceu tabe pereſus.
In paſſim Halcyones moeſtae, per ſaxa, per antra
Triſtia, flebilibus complent maria alta querelis.
Quare agedũ moeſtos mecum Mopſe incipe cantus,
Incipe, quandoquidem lenes cava littora fluctus
Pulſant & ſaevi poſuerunt murmura venti.

MOP. Quis mihi te rapuit, quis te dulciſſime Jola?
Noſtrae olim requies, olim ſpes unica vitae:
Nunc lacrimae, aeternuſque mihi dolor & lamenta,
Nec te praeſidium, ac noſtrae ſpes magna juventae
Adſpicere, & ſacrae licuit ferre oſcula dextrae
Ultima, & occluſiſſe oculos in morte natantes.
Nec tibi ego inferias duxi, nec juſta peregi.
Quid primũ querar? aut quo triſtia pectora vertam?
Proh dolor, ah comitem tibi me ne immitis Jola
Spreviſti moriens? ambos eadem hora tuliſſet,
Et dolor infernas idem miſiſſet ad undas.

Nereides noſtras, oro, ingeminate querelas.
Quid juvat umbroſis vitam producere in antris
Aequoris undiſoni, quae rauca ſubederit unda,
Si mihi delitiae ſint & ſolatia ademta?
Littoribus quin & ſcopulis, & luce relicta
Malle meam aequoreis vitam deperdere in undis
Certum eſt, ut monſtris fiam nova praeda marinis.

Nereides noſtras, oro, ingeminate querelas.
Tu vitrei Proteu paſtor gregis, incola ponti,
Et tu qui magno moderaris ſaeva tridenti
Aequora, nunc queſtus, oro, ingeminate recentes.

Ille etenim ante alios vestri reverentior omnes
Qui fuit, & largos aris indicere honores
Suetus erat, nunc exigua est tumulatus arena.
Nereides nostras, oro, ingeminate querelas.
Tu vero ante tuas ades o Galatea sorores,
Et mecum defle casum infelicis Jolae.
Occidit heu procul a patria, notuque propinquis,
Ille tibi ante omnes olim dilectus Jolas,
Qui nondum primae vestitus flore juventae,
Sicanias rupes, praeruptaque saxa Pelori
Te mirante novo cantu complebat. at illi
Mamertina modis resonabant littora miris.
Non ut amans olim Siculas Polyphemus ad undas
Dum caneret blanda scopuli pendentis in umbra,
Candidior folio nivei Galatea ligustri:
Sed caussas rerum, & magni primordia mundi,
Igneus ut vario sol lustret lumine terras,
Ut mane Eois primum se tollat ab undis,
Rursus & Hesperio nitidum caput aequore mergat.
Cornibus in plenum ut redeat nova luna coactis,
Utque regat Graias Helice formosa carinas.
Cur ter in abruptum fluctus male sana Charybdis
Sorbeat, effractas revomens ad littora puppes,
Naufragaque angusto dispergens corpora ponto.
Cur ingens miris exaestuet ignibus Aetna,
Et procul ostentet Lipare fumantia saxa.
Ut Deus aeterno vigeat vivacior aevo.
Utque domum mundi, qua struxit, temperet arte.
Omnia quae senior puero monstravit Amyntas,
Et dixit, magnus fies olim ista canendo.
Nereides nostras, oro, ingeminate querelas.
At vos o mecum scopulis, mecumque recurva
Littora, quae Adriacas objectis cautibus undas
Fran-

Frangitis, incursus quoties gravis excitat Auster,
Littora Tyrrheni fluctu pulsata profundi,
Occiduas Zephyrus tunc cum jactavit arenas,
Plangite dilecti casumque & funus Jolae.
Tu mecum Benace senex hunc plange marinis
Fluctibus, & moestas resonet tibi Sirmio voces.
Sistite Nereides, nostros jam sistite questus.
DOR. Dulce tui resonant numeri, tua carmina dulce,
Nec nivei voces cychni sentire canoras
Malim, cum liquidi circum stagna ampla Caystri,
Flebilibus numeris notas moriturus ad undas
Conqueritur, retinetque novo vaga flumina cantu:
Non quas Halcyones moestae fudere querelas,
Cum tutos placido condunt super aequora nidos.
Verum agedum Hesperias quando procul aspicit (undas
Sol, & adhuc sero non surgit vesper olympo,
Mopse tuos itera cantus, Mopse incipe rursus:
Et scopuli questus iterent, & saxa querelas:
Ut vernas inter frondes cum Daulias olim
Deflet mater Itym, resonant arbusta, nemusque,
Suavior & semper repetito carmine vox est:
Sic tibi, seu tremula moderabere arundine linum,
Sive per immensum deduces retia pontum,
Sit mare compositum: vitrea sit piscis in unda
Plurimus, & curvos imprudens appetat hamos:
Sic tibi sufficiat squallentes Adria conchas:
Sic juvet has, aequor qui cuspide temperat, artes.
MOP. Ne nostros Doryla cogas renovare dolores:
Ne ve iterum tristes effundere pectore voces:
Dum refero, crescit dolor, & nova cura recursat,
Nec potis est superas tristis vox ire sub auras.
Quin potius nostros quoniam lenire dolores
Carmina

Carmina nulla queunt, pariter surgamus: & ante
Quam vesper feros ostendat noctifer ignes,
Nassasque & tectos escis fallacibus hamos.
Tendamus pariter, toto dum lumina caelo
Paulatim effundit stellis circundata Phoebe.
Forsitan ingrati dispendia longa diei
Sarciet optatae referens nox commoda praedae.

BAPTIST. GUARINI
FILII
CARMINA.

AD JANUM PANNONIUM QUINQUECCLESIENSEM EPISCOPUM.

NON ita muneribus, Praesul doctissime, laetor,
Judicio ut clarum me juvat esse tuo,
JANE pater: cujus meritas percurrere laudes
Non valet ingenii vena pusilla mei.
Tu Latiae Graiaeque simul pars optima linguae;
Te cuncti priscis dicimus esse parem.
Pallada crediderim Phoebumque novemque sorores.
Thraciaque armifero qui terit arua pede.
Ante Iovem tales quondam fudisse precatus,
Dum caneret vates bella futura Themis;
Contra Turcarum populos regemque superbum
Ut te Pontificem saecula nostra darent:
Qui saevo regeres hosti contermina regna,
Et forti premeres arma inimica manu:

Fa-

Facundos Latias posses legatus ad urbes,
Dicere pro Christi verba diserta grege.
Credibile est igitur Patrem mandasse supremum,
Ortus Gradivo Mercurioque tuos.
Nectare te parvum dulces aluere Camoenae,
Nutricesque tulit docta Minerva manus.
Firmior hinc aetas magno est commissa Guarino,
Ornandumque bonis moribus ingenium.
Quippe ubi terra ferax docto cultore movetur,
Exoritur cumulo fertiliore seges.
Nec te pulcra minus Ferraria gaudet alumno,
Quam laeta est ortu Pannonis ora tuo.
Sic te nostra bonum viderunt tempora vatem,
Quales in caelum saecla futura ferunt.
Nam seu clarorum scribis connubia regum;
Funera seu ploras, seu fera bella canis:
Seu praeceptorem laudat tua Musa Guarinum;
Seu de maternis increpat astra rogis:
Seu queritur morbos, celebrat seu numina fontis;
Seu canit in medio sidera visa die.
Altisono quidquid memorandum carmine sumis;
Noscimus eloquii flumina larga tui.
Hinc rex MATTHIAS, Turcarum maximus horror
Pannoniae clarum Marte togaque decus,
Praeside te, regni non parva negotia tractat;
Sive domi fuerint, sive gerenda foris.
Hinc te Pannoniae plebs admiratur amatque;
Nobilium hinc Procerum turba verenda colit.
Hinc urbs Pontificem te Quinquecclesia cepit;
Hinc gaudet rebus sacra caterva suis:
Cum te consilio magnis doctoribus aeques,
Et lingua promtus bella manuque juves.
Tales sancta duces votis ecclesia poscit,

Protegat ut miseros debita cura greges.
Is mihi bellorum damno fuit usus in isto,
Quod vultus nostra conspicor urbe tuos.
Namque ita gaudentes hilari te vidimus ore,
Ut solet aethereo plaudere Creta Jovi.
Ergo minus dono, quam doni auctore movemur:
Dantis honos, precium munere majus habet.
Cornipede in niveo cum me obvia turba videbit,
Dicat delicias pectoris esse tui.
Verũ opis haud nostrae est dignas, pater optime, grates
Solvere, nec meritis praemia justa tuis.
Mens tibi mercedem virtutis conscia reddat;
Et quae respiciunt Numina sancta pios.
Illa tibi ad patrios salvum remeare penates,
Hosteque de tumida gaudia longa ferant.

AD EUNDEM PANNONIUM.

NON minus antiquis, Praesul venerande, poetis
JANE, decus vitae praesidiumque meae,
Qui patrium claris ornas virtutibus, Istrum,
Doctrina, ingenio, viribus, eloquio:
Quando erit illa dies, qua tecum visere possim
Littora saxosae proxima Dalmatiae?
Illyricumque latus, Dravus quas irrigat oras;
Et glaciem gelidi cernere Danubii?
Et castella jugis alte constructa nivosis,
Martiaque algentis moenia Pannoniae?
Durum iter est, fateor, longos perferre labores
Per pelagus, silvas, flumina, saxa, feras;
Qua fera setosis incultisque horrida barbis,
Vocibus occurrat dissona turba meis.
Omnia sed tecum vivendi optata voluptas,

Atque

Atque incredibilis lenia reddet amor.
Tecum ego non dubitem Syrtes intrare vadosas,
Et loca quae nimius torret adusta vapor.
Tecum ausim pedibus mediam penetrare charybdim,
Cyaneasque vagas, navifragosque canes.
O ego ter felix: si te monstrante videbo,
Qua patet adstrictis orbita fluminibus,
Quae conjuratus deduxerit agmina Dacus,
Quae Scytha non stabilis, quae colit arva Getes;
Per quos intonsus discurrit Sarmata campos,
Et quibus augusti sunt sua plaustra lares.
Quae via Riphaeos alto sub vertice montes
Adspicit; Euxini qua fluit unda maris:
Atque Tomitanae qua sint confinia gentis,
Nasonis nostri cognita terra malis.
Discam etiam Augustus quae vicerit oppida Caesar;
Quae fuerit Latiis sanguinolenta viris:
Fervida Turcarum rabies quas vicerit urbes;
Quos dederit populos gens truculenta neci:
Qui desolati saevis populatibus agri;
Atque unde ingenti praeda sit acta manu.
Si te forte pudor tua dicere gesta vetabit;
Non erit hic magnos noscere cuncta labor:
Cum valeant claris dudum vulgata triumphis,
Illa vel ignavi facta referre senes:
Quam longas hyemes, & quantos saepe calores
Pertuleris durae tempore militiae.
Quae vallata tuo fuerint, quae diruta ductu;
Quae defensa tuis oppida consiliis:
Quam rapido cautum cursu praeveneris hostem;
Difficilesque nova feceris arte vias:
Ut Mahometeae dederint tibi terga cohortes,
Non ausae populi tela videre tui:

Agmina quae Stygio fugientia miseris Orco,
Aut ferro, aut altis obruta gurgitibus.
Haec pro virgineo gessisti praelia CHRISTO;
Hoc habuit sanctae relligionis amor.
Nec minus adspiciam quas praestant ocia sedes;
Hic ubi stat docti sacra caterva chori:
Hic ubi vel legitas priscorum carmina Vatum,
Vel nova venturis scripta legenda canis:
Tristia Maeonio celebrans nunc praelia versu;
Nunc referens claudo mitia facta pede.
Hic ubi Smyrnaeas solitus percurrere chartas,
Et gelidis quidquid vallibus Ascra canit:
Lucida sidereo quae sint animalia caelo,
Quae ventum aut pluvias praevia signa ferant.
Quicquid Sicania pastor modulatur avena;
Quicquid Aristophanes scribit & Euripides.
Quid tumido fingit stultae reus ore senectae,
Et quis Olympiacis scandit in astra rotis.
Et quos errores, acies quas Mantua narrat,
Et silvis pariter cognita & agricolis.
In nova quae fuerint mutatae corpora formae,
Quos notet in fastis Martia Roma dies.
Postquam legisti quae dat praecepta Cupido,
Discis quae tanti sit medicina mali.
Gramina quae pandat Macer; & quid Musa Catulli,
Quid genio Plautus nobilis & salibus.
Qua Poenus soccos expresserit arte Menandri;
Quid ludant Elegi turba faceta chori.
Carmina quos celebrent fidibus Venusina canoris;
Qui prima rapiant vellera fulva rate.
Quo sonitu juvenis civilia bella tonarat,
Laudanda jussus seditione mori.
Corduba quid memoret, Grajos imitata cothurnos;
Qua

Qua fera Papinius concinat arma tuba.
Mordacesque jocos & salsa Epigrammata Marci;
Quae cantet Latius Punica bella senex.
Quicquid Pierides mollis sonuere Canopi:
Quos laniet Satyris Musa Latina suis.
Perspicis illustres vitas Regumque Ducumque,
Quas & Plutarchus tradit & Aemilius.
Nunc arguta gravis Tranquilli scripta revolvis;
Nunc avide primi Caesaris acta vides.
Lactea quam currant Patavinis flumina chartis;
Miranda Crispus quam brevitate juvet.
Justinus quanta dulcedine permeet orbem,
Librorum numero par, Troge magne, tuo.
Et quamcumque dedit linguis Latialibus artem
Arpinas cunctis altior ingeniis.
Nec documenta latent quae rhetor Cantaber; aut quas
Dant Senecae morum scripta diserta vias.
Non te Divini fugiunt monumenta Platonis,
Aut docti largum flumen Aristotelis.
Non quicquid dictat perplexa Academia veri,
Porticus aut rigidum Stoica quicquid habet.
Non quisquis radio terras metitur & astra,
Aut rerum caussas quaerit, & ingenia.
Non te Pontificum, non te civilia jura.
Scitaque divini non latuere fori,
Noscis & antiqui numerosa volumina Mosis;
Qui primi terras incoluere viri;
Qui sacri vates mundo cecinere futura,
Quique Palestinis regna habuere locis.
Terrea quae suetae venerari Numina gentes
Quos Deus imperiis egit in arma suis.
Perfida quam saevos passa est Judaea tyrannos,
Quam saepe est meritis obruta suppliciis,

Nec tantũ haec legitas, verum hinc praecepta requiris,
Ut vitae cõstet formula certa tuae.
Fortunatus ero si quando ea venerit hora,
Qua fruar hospitiis, optime Jane, tuis;
Et tecum insomnes valeam perducere noctes,
Et tecum longos continuare dies.
Interea memori si te non pectore servem,
Idem etiam possim non memor esse mei.

IN OBITUM JANI PANNONII.

PANNONIAE decus, & nostri lux maxima saecli,
Hic situs es cunctis, JANE gemende bonis.
Te nemus Aonium, laceris te Musa capillis,
Te posita moestus flevit Apollo lyra.

LAURENTII GAMBARAE

PRO VICTORIA CHRISTIANAE RELIGIONIS CONTRA TURCAS AD DEUM GRATIARUM ACTIO.

JAM tandem pater omnipotens dignatus ab alto
Et nostras audire preces, gemitusque tuorum;
In vinclis quos ille ferus nostrique tuique
Nominis hostis habet, vel carcere detinet atro;
Ferre & opem nobis, tantarum in turbine rerum,
Et post bellorum tam saeva incendia, totque
Excisas ferro gentes, amissaque regna.
Nam nec erat spes ulla fugae, furibundus & hostis
Terruerat pontum, & terras victricibus armis,
Et classe Adriacas valida penetraverat oras;

Op-

Oppidaque, & pelago, & terris invaſerat urbes;
Atque inimicum ignem ſecum, caedeſque ferebat.
Induerat quos ſe in laqueos nec ſenſerat: & non
Quid poſſet, Rex o caeli, tua dextera norat.
Unde agimus tibi nunc tanto pro munere grates;
Et templis pia thura damus; per templa, viaſque
Debita ſacra tibi canimus: nam dextera partim
Threiciam claſſem tua merſit in aequore; partim
In noſtras impulſa manus eſt te duce, & ingens
Turcarum intepuit reſperſus ſanguine pontus:
Nam nec habet certas tua magna potentia metas,
Nec praeſcripta tibi eſt, ſed tu potes omnia ſolus,
Tellurem & pelagi liquidas convertere in undas,
Et mare tellurem in ſolidam. tibi paruit aequor,
Aequor Erythraeum; Solymae dum robora gentis
Tranſirent vaſti ſicco pede marmora ponti,
Atque minas fugerent duri Pharaonis, & arma.
Namque tuo juſſu diſceſſit tunc maris unda,
Hinc atque hinc ſaxi in faciem durata repente,
Hebraeae inferrent greſſus qua parte phalanges:
Quae retro tunc deinde fluens conjunctaque currus
Involvit pelago Mareotidaque arma ſequentum.
Nunc vero non ſe pontus diviſit; at unda
Strata, ſilenſque) tuo ſed non ſine numine) ventus
Auxilio noſtris fuit, & tot clara per annos
Praeteritos virtus, & formidabile nomen
Turcarum in ventos abiit tunc gentis Iberae,
Atque Italae ad caelum bellando gloria ſeſe
Extulit; invictamque olim per caerula claſſem,
Haud noſtrae timuere artes; non impetus illos
Barbaricus juvit ſparſuſque per aequora clamor.
Nam noſtra haud lunae ſpeciem vexilla ferebant;
Sed Cruce pendentem Chriſtum palmaſq;pedeſque,

Trajectumque latus ferro, pariterque parentem
Aspera dilecti lacrimantem funera nati.
Gloria tota tua est, neque enim victoria nostro
Consilio, aut armis parta est, aut viribus ullis.
Et miles ferus ille suo sperabat in arcu,
Et gladio, quo jam toties caeso hoste triumphos,
Egerat, & victor praedas portarat ad oras,
Insonat angusta qua Bosphorus horrifer unda.
Quid dicam? o Asiae regnator saeve, Deus te,
Quem colimus, meritoque sacras veneramus ad aras,
Proteret, haud aliter quam laeti graminis herba
Cornipedis pede pressa gregis: dicamque ego; vidi
Regem Asiae florentem opibus, regnisque potentẽ,
Elatumque animo, & tumidum praecordia fastu,
Non secus ac cedri alta comas sublimibus arbor
Nata in verticibus Libani, sed luce sequenti
Dum redeo; Rex non usquam; sed nec levis umbra
Corporis illius, nec gloria parta sub armis
Ulla erat, aut rerum vestigia facta suarum.
Et nunc tempus adest, quo te sulcasse pigebit
Jonios fluctus, & classe intrasse profundum
Adriacum, tuaque arma armis concurrere nostris
Permisisse, Deus cum nos nunc protegat, & nunc
Pro nobis (ut tu ipse vides) bella aspera pugnet.
Tunc ego laetitia ingenti cumulabor, & axes,
Vertice contingam caeli, dehinc ora resolvam
In laudes, o Christe, tuas, magnique parentis,
Qui solus pontum, & tellurem condidit, & non
Se folia ulla movent, tanti sine Numinis aura,
Cessabo & nunquam tua facta intexere nostris
Carminibus, pariterque tuos memorare triumphos,
Nam victi cecidere hostes, paucique (cruore
Aspersi tamen) ad sedes rediere paternas,

Et

Et ſua viderunt verſis vota irrita fatis.
Te mare, te tellus, caeli te regia laudat,
Caeleſteſque chori, laetaeque per oppida gentes
Europae, quae te Dominum, Patremque fatentur,
Inſigni ſuper aſtra ferunt te laude, tuumque
Nomen, & annales condunt; quibus inclyta facta
Deſcribunt, quae dextra potens tua fecit in undis
Joniis, noſtri ut poſſint haec ſcire nepotes,
Teque colant unſi, penes eſt quem quicquid ab alto
Adſpectat caeli cum Sol tenet arduus oras:
Iſtiuſque ſacrae memores ſint juris, & aras
Ante tuas tibi digna canant praeconia laudis.
Tuque illorum animas, fuſo qui ſanguine pro re
Romana, ſacriſque tuis, patriaque ruenti,
Vulnera per, pulcramque necem cecidere ſub armis,
Sidereas ſupra ſedes, qua fulget Olympi
Regia duc tecum, & tuta ſtatione repone.
Et vos Aetherei fontes, quos non vagus imber
Verberat, aut pedibus turbat fera, vel gravis aeſtus,
Aut ramis folia arboreis delapſa; ſed eſtis
Perſpicui, gelidique Deum laudate, manu qui
Pro nobis valida noſtros pugnavit in hoſtes:
Tu quoque Sol, qui vidiſti ſublimis ab alto
Aethere pugnantes pacata per aequora puppes,
Et nunc tu canere, atque urbis per compita pompas
Ducere ſolemnes laetus nos adſpicis; heu quam
Exiguae ſunt, & tenues, te judice grates,
In nos pro tantis meritis: qui contulit ille,
Ille ſator rerum, & tanti certaminis auctor!
Jam circum ſeptem colles, quos dividit unda
Tibridis, & curſu praeclaram interluit Urbem,
Laetitia magna exſultant, atque ardua voces
Terrarum laetas ad ſidera lucida jactant,

Atque novis resonant passim concentibus aurae:
Ipsa coronatis Tuscum mare cornibus intrant
Flumina, quae currunt de fontibus Apennini,
Certaque venturis declarant gaudia saeclis.
Tuque Pie ante alios laetare o Quinte, tenes qui
Pervigil in terris Christi sedemque locumque:
Nam longe es felix, sub quo Deus optimus hostem,
Hostem opibus, simul & terra pelagoque potentem
Mersit in Joniis undis, qui foedere rupto
Impia in insontes Venetos jam verterat arma,
Et Cypri regno expulerat, victorque tenebat
Totius pelagi imperium; sed det tibi tantum
Omnipotens vitae spatium, quo cernere possis
Illum amittentem terras, amisit ut aequor,
Et dantem meritas effuso sanguine poenas,
Pacatum & videas laetis successibus orbem,
Errantesque greges Romana in septa reducas;
Qui vacuos tondent saltus, dumetaque silvae
Hercyniae, gelidique bibunt qui flummina Rheni,
Quosque ferus versat pastor per prata Britannus:
Nam tua barbaricae populantur ovilia gentes,
Quae rectas liquere vias, justumque piumque.
Tum juvenem Pater alme tua pietate; tuumque
Ob numen serva incolumem, quem bella gerentem
Indomitas contra gentes, populosque rebelles
Vidisti toties ad curvi flumina Baetis,
Germanique simul referentem in regna Philippi
Victrices aquilas, & caesis hostibus arma:
Atque ipsum hunc etiam voluisti ducere classem,
Atque illi summam voluisti credere rerum,
Effice, ut ipse etiam fasces in regna reducat
Aeneadum amissos olim, lauroque revincta
Roma comas, Macedum populis, Bactrisque subactis,
Qui-

Quique colunt Libyam, & Nilum, det jura, jugumq;
Excutere impositum possit, violentaque fraena.
Huic etiam pater omnipotens da, major ut ipso
Sit patre, bellando quamvis tot vicerit urbes,
Viderit & captos reges, fusasque phalanges.
Et regno sumtis in regna reduxerit armis,
Expulsum regem, qua Bagrada currit in aequor.
Haec tibi Alexander cecini dum tu colis oras
Umbrosis gelidus quas Farfarus irrigat undis,
Commissisque tibi populis civilia reddis
Jura tuis, ritusque sacros, & templa revisis,
Criminaque & vitas discis. tu perlege quae jam
Jam toties votis optasti; & gaudia mecum
Tu cape, & ante aras, pronus, supplexque age grates,
Immensasque patri aeterno, qui mersit in undis
Joniis Turcarum acies inimicaque vela;
Atque alias magno grates persolve parenti,
Qui cupidum belli in patriam sedesque reduxit
Farnesium juvenem, qui nomine te quoque reddit;
Duxerat ad bellum quem clarus avunculus armis:
Illius virtutem animi, roburque juventae
Admirans, puer adversos dum tendit in hostes.



CYNTHII JO. BAPTIS. GYRALDI FERRARIENSIS CARMINA.

AD HERCULEM ESTENSEM. FORTUNA.

QUAE cuncta instabili verso mortalia motu,
Sors, praepes, cunctis & malefida viris,
Firma futura tibi semper; tibi fida, nec unquam
Mutatura vices mobilitate mea;
Has tibi do volucres, Dux invictissime, pennas;
Inque tuo implumis ludo benigna sinu.

HERCULI ESTENSI.

ALCIDE, patriae rector, dominusque paterque,
Sub quo laeta quies, & bona cuncta vigent;
Cum tua sceptra leges, tenui quae carmine dixi,
Conveniens Regni pone supercilium.
Nec licet aequa tuis referant mea carmina factis,
Tu tamen haec veri pignus amoris habe.
Mens mihi major erat: sed cum sim viribus impar,
Deficiantque humeri; sit voluisse satis.

D. HERCULI ESTENSI II.

BALSAMA, thura, crocum, tradant & grandia dona
Queis nitet Attalica conditione domus

Do

Do tibi populeas frondes, silvasque virentes,
Alcide, inculti munera parva soli.
Parva tamen magni non spernunt munera Reges,
Parva etiam magno munera grata Jovi.
Tu cape dona libens, dantis simul accipe mentem,
Sic tibi erunt parva haec, balsama, thura, crocum.

DE CAELII CALCAGNINI HYMNO.

ANNE tuo rupes etiam de carmine surgunt?
Promit & arenti de Nuce Musa nemus?
Aura Paraetonias colubris praemiscet arenas,
Marmaricusque leo servat herile latus.
Illyricus pater in media perlustrat heremo
Caelum, & caelicolas, tergeminumque Patrem.
Idem animo, idem oculis nostrae vexilla salutis
Spectet, & inclusum pectore numen alit.
Si Nux tantarum monstrat spectacula rerum;
De Nuce quis promtam perneget Iliada?

BALTHASARIS BARDELLI TUMULUS.

BALTHASAR hic jaceo, primo quem flore juventae
Decerpsit rapida Mors inimica manu.
Si spectes annos, juvenem me fata tulerunt,
Si ingenium, dices me periisse senem.

AD D. HERCULEM ESTENS. II.

MAGNA canant quamvis de te, Dux inclite, vates,
Nemo tuis meritis versibus, aequa facit.
Et quamvis cupiant quam plurima fingere cantu,
Tu quoque, Dux, fictis maxime major eris.

Nam-

Namque ut nulla valent lucem addere lumina Soli,
Sic tua carminibus crescere fama nequit.
Ergo licet crescant vates, & carmina, nullus
De te unquam mendax esse poeta potest.

AD EUNDEM.

NON quod me Phoebus super ardua culmina Cynthi
Duxerit, ad sacras aut Heliconis aquas,
Haec pango Alcide, tibi quae modo carmina mitto:
Adflatu veniunt numinis ista tui.
Namque ego te spectans, divinos protinus ignes
Haurio, & invadit pectora nostra furor.
Musae aliis adsint, adsitque vocatus Apollo,
Mi faveas; solus tu mihi numen eris.

PAULLI JOVII JUNIORIS

SUB EFFIGIE NICOLAI PICININI.

CARMINA.

HAEC tibi mansuras aeterna in saecula laudes,
Haec spolia,& victo celebres ex hoste triumphos,
Robur, & astutae praestanti in corpore vires,
Et populis defensae urbes, tuaque inclyta virtus
Sanguinea peperere solo, fortissime ductor
Ausonidum: quisquam an tanto tibi certet honore
Armorum, ac titulis clari Mavortis, & almae
Militiae? Nonne hos oculos atque ora ferebas?
Nonne

Nonne ſub hoc quondam gladio cecidere volantes
Turmae equitũ, peditumque ſimul, pulſiq; tremore
OEnotrii obſtupuere duces, atque Itala ſigna?
At nos exigui miramur corporis artus
Sufficere hoc onori, & tantos perferre labores?
Scimus, & Iſmenias bello fregiſſe cohortes
Saepius, in parvis victorem Tydea membris.
Ipſa equidem, longe terris Atlante relicto,
Caucaſeïſque jugis, & cincto nubibus Oſſa,
Laurigerum redimita caput, petit ardua caeli,
Inde alacris ſeſe tollit ſuper aethera Virtus.

IN IMAGINEM COSMI MEDICI MAGNIFICI.

QUID de Sidonio bis tinctam murice veſtem?
Quidve manus ſimilem doctas formare figuram?
Artificiſque decus tantum admiramur, & artem?
Suſpice grandaevi caeleſtes oris honores,
Effigiem quicumque vides, & fixus in illis
Tranquillum Heroa, & mixta gravitate verendum
Sume oculis, dulcique nota pia lumina vultu.
Non hic inſigni gladio per tela, per hoſtes
Egit equum, aut largo foedavit ſanguine dextram.
Non illi Mars durus erat, non claſſica cordi,
Verum conſilii foecundum pectus, & alto
Ingenio virtus: qua toto cognitus orbe
Ipſe ſui columenque fori, ſanctique ſenatus
Etruſcum decus & nomen ſuper aethera vixit.
Sed qui honor? aut ulli laus major contigit unquam?
Ingrata quam de patria duxiſſe triumphum,
Hadriacis exul veniens revocatus ab oris?
Quae poterant potiora peti? quam cum modo ſaevã
Mortem

Mortem exſpectabat, diramque in colla ſecurim
Audiret populi tollentem ad ſidera vocem,
Exſpectate veni patriae pater inclyte noſtrae.

IN CAITHBEJUM MAGNUM SULTANUM.

SI quondam Heſperio quos miſit Baetis ab orbe
Dalmatave, aut Lybies Mauris circumſona tellus
Aeneadum faſces, Capitoliaque alta tenentes
Obſtupuit populus Latialis, & inclyta Roma
(Externos quamvis dominos) aequavit Olympo,
Inſueta admirans alienae nomina terrae,
Nonne erit hic etiam toto admirabilis orbe?
Qui genere ex humili Riphaeis natus in oris
Adverſi fines mundi, rigidamque relinquens
Arcton, Cimmerias ubi Boſphorus aſperat undas,
Venerit ad magni ſeptemflua flumina Nili?
Atque ibi ſerviles habitus exutus, & ora,
Conſenſuque ducum magno praelatus honore;
Tum demũ Aegyptũ,& Pharias compeſcat habenas?
Et Syriam quacumque rapax procurrit Orontes
Sceptra tenens late magna ditione gubernet?
Scilicet haec & virtuti, ingenuoque labori
Conveniunt, namque ille diu in ſua damna ruentes
Victor Erythraei depellit littora Ponti
Praedones Arabum; ſimul & felicibus auſis
Trans fluvium Euphratem,trans pictae Perſidis arva
Cogit Ithyraeo gaudentes vulnere Parthos.
An memorem quod Coryciae prope moenia Tarſi
Rettulit infeſto ex Turca ſublime trophaeum?
An ſubito oppreſſa Aethiopum ſervilia bella?
Sed nec adhuc tanto famae contentus honore;
Muneribus placet Italiam penetrare, ſuaque
Laude

Laude frui: magno sic vecta per aequora sumptu
Bellua, quam prisci conjuncta voce Camelo
Pardalim appellant, geminum cui vertice cornu
Fulget, & insigni distinctum tegmine corpus.
Felix ille quidem cunctis qui cognitus oris
Non vitam ferro amisit, sed morte quieta
Et natus lacrimans posuit sua membra sepulcro,

IN MATTHIAM CORVINUM, REGEM.

VOS o qui celeri gradu
  Lucum Castaliae rupis, & ardua
Parnassi juga scandere
  Certatis viridem per nemorum comam,
Qua rivo resonans sacro
  Leni lympha fugax perstrepit alveo;
Auratae cytharae modos,
  Insignemque lyram ponite; ponite:
Si quis posse putat suo
  Cantu, & grandiloqui carmine Pindari
Regem Pannoniae decus
  Corvinum meritis tollere honoribus.
Nam si Moeonii senis,
  Seu quae Virgilii Musa canit Deos
Sese reddat ab inferis,
  Nec curet Siculae regna Proserpinae;
Haud unquam valeat satis
  Summis, ceu deceat, tollere versibus
Corvinum egregium ducem;
  Quem nec Laurigeri pascet Apollinis
Laus, nec Pierii Chori
  Princeps, dulce canens Calliope melos.

IN BASILIUM MOSCOVIAE PRINCIPEM.

ETsi te nullis insignem fama trophaeis
  Basili sine laude per orbem,
At semper victum referat, semperque subactum
  Horribili in certamine Martis
Sarmata quum toties te fuderit, atque Gelonus
  Obruerit tua castra sagittis;
Et tua Regna ferox pubes populata Scytharum
  Te patria solioque fugarit:
Non ingrata tamen tibi se debere fatetur
  Haud meriti immemor Itala tellus,
Namque tuo nobis ignotos munere Moscos,
  Et Scythici Borealia caeli
Regna aperis, Tanaimque Trucẽ, penitusque repostã
  Perpetuis sub nubibus Arcton.
Sed quid Hyperboreos veterum mendacia jactat
  Riphaeo sub cardine montes?
Tu Basili nobis caecam tu discutis umbram.
  Nos ideo pro munere tanto,
Rite tuam effigiem Lari veneramur ad undam;
  Nomenque immortale sacramus.

JO.

JO. AURELII
AUGURELLI
CARMINA.

AD P. GLYCEREN. LAUS POETARUM.

VIRTUTE majus nil, Glycere, boni
Divi dederunt: ne stolidas opum
Vires, & insanos honores
Assiduo mediteris ore.
Ast ipsa Vatum, ni celebris tamen
Et clara cantu est; sic latet abdita,
Abstrusus olim ut fulgor haeret
Gemmeus; artificis quousque
Detectus acri diradiet manu.
Videre patres indigetem Deum
Aeneam; & iidem ipsi superbum
Hectoreis spoliis Achillem.
Sed Musa, longo ne pereant die,
Nobisque noti tam bene sint, quam avis:
Deduxit illos, nos ad usque
Carmine perpetuo nepotes.
Est & fides & gratia Vatibus;
Est dulcis oris spiritus; est Amor,
Qualem nec ullus praestet ipsis
Omnibus exanimis sagittis.
Invisit Orpheus impia pallidi
Ingressus Orci regna, inamabiles
Manes, & horrendas tremendi

Eumenides famulas tyranni,
Illinc acerbo funere conjugem
Raptam reduxit pene, potentibus
Vocum Camoenis aeque & omni
Threicia modulatus arte.
Quin ipse durat caede per aridos
Discerptus agros, Euridicen suam
Jam voce quaerens, nil suprema
Quam miseram Euridicen vocabat.
Et nos venustis moribus, & tua
Virtute capti, hac tenui lyra,
Primisque & extremis pudicam
Carminibus Glyceren canemus.

POETAS DIVINO FURORE EXCITARI, ET PROPE FELICES ESSE.

CAELESTIS intus excitat vates vigor:
Ultraque semper promovet:
Illic ut illos sistat, unde moverant;
Caeloque cives afferat.
Donecque sedes incolunt mortalium
Hac obliti caligine;
Virtus tenebris una solos eximit
Ardente Sole purior:
Splendore cujus tutiores ambulent,
Ferantque lucem caeteris.
Hinc non honorum, non opum cordi faces
Volens edaces admovet,
Ad sacra certo qui semel ritu pedem
Musis dicata contulit:
Vitat sed aegrum vulgus, odit anxii
Curas inceptas ordinis.

Aeque

Aeque dolori, gaudioque deditus;
 Neutro retentus laeditur.
Optat frequenter, nec cupit: cavet, neque
 Pavet timore territus.
Ergo aut patentes circuit Mundi plagas,
 Floremque rerum colligit;
Dum multiformis interim coloribus
 Natura doctis pingitur:
Aut quid decenter expetatur omnibus,
 Jugi labore quaeritat.
Cultisque mores mentibus probos ferens,
 Inculta quaeque praeterit.
Aut saepe laetos inter admissus choros
 Ludit latenter Virginum;
Ad quos aperte progredi nullis datur;
 At ire clam, paucissimis.
Illic, amoenae vallis in recessibus,
 Frondentis alte populi
Aestum sub umbra vitat, aura leniter
 Remurmurante frondium.
Illic virentis floridum campi solum
 Innoxius perambulat.
Vel ad sonorum vitreae lymphae caput
 Curis solutus sternitur:
Grato vel antro, jam Deo plenus, sedet;
 Lyraque Musam suscitat:
Antro, quod hederae vestiunt circum sacrae,
 Laurusque obumbrat mystica:
Heroas unde tum, virosque laudibus,
 Divosque dignis concinit.
Quid hoc beatius? quis huic opes simul
 Omnes furori comparet?

AD LODOVICUM MARCELLUM.

MARCELLE, quo non alter eſt beatior,
Si, quod beatum eſt, ipſe tecum penſites:
Tibi frequenter, urbe vel ruri velis,
Ludunt decentes hinc & inde Gratiae.
Tuam frequentat optimus civis domum;
Peritus omnis arte quavis artifex;
Muſis amicus omnis & vates pius.
Aedes honeſtis commodis pares tuis,
Lautis renident undecumque ſumptibus.
Urbana profert haec tibi ſe gratia.
Ruralis aeque nec moratur altera:
Ubi virentis praedium collis petas
Utcumque amoenum, ſive rupis horridae
Antro, vel unda limpidi fontis juvat
Spectare Nymphas, vel ſacro paſſim Deos
Luco vagantes, cum tibi puriſſimis
Pomona replet foetibus mitis ſinum,
Cum Flora ſertis floridis ambit caput.
Et laeta cornu prodit amplo copia.
Duabus ergo ſic beatus Gratiis
Videre multis: at mihi dives, potens,
Benignus: iſta ſic fatemur ſingula:
Totum negamus illud, ut beaveris
His te: ſed ampliore commodo, quod his
Contentus omni degis ambitu procul;
Nec plura quaeris liber, & vivens tibi:
Sororque inhaerens ſic duabus tertia,
(Quae vera doctis creditur felicitas)
Haec una reddit te beatum gratia.

AD


AD BERTUTIUM LAMBERTUM.

HOMINES NON EUM, QUEM DEBERENT, FINEM QUAERERE.

SAEPE ego, Bertuti, compresso in pectore risu,
Mortales mirer volvi per inania curas:
Interdum, ne quis vitio mihi vertere possit,
Haud veritus, si qua ingenio permittere curem,
Illuc immissis adeo delabor habenis,
Vix ut surgentes valeam cohibere cachinnos.
Nam quoties animo scrutor, quo tendere nostrũ est,
Peneque diversum video spectantia signum
Omnia quae nobis aptantur spicula cornu;
Apparet toties manifeste, qui stupor intus
Humanas habeat mentes; quae tramite recto
Propositum nequeuntque sequi, nec cernere finem:
Principio insevit nobis natura perennes
Igniculos, quibus accensi conquirere rerum
Semina possemus, nec non per lubrica firmos
Ferre pedes, verique invento insistere calle.
Hinc varie expulsis artes fulsere tenebris;
Quae regerent certum per iter mortalia corda.
Namque aliae quantum possit promittere sola
Cognitio, tanto contentae lumine praebent
Se nobis comites, seu per concreta perenni
Materiae, motuque obnoxia, sive per illud
Quod mens ex iis seducit, fingitque remotum:
Seu per sensilibus vere semota tenendum
Est iter, & pura caelestis mente petendum.
Ast aliae his etiam cognatae, quid sumus ipsi,
Et quod opus nobis proprium, & qui denique finis,

Expediunt, ducuntque pios, verosque per actus
Humanum genus, ut semet virtutibus inde,
Ingenuisque domos curis, & moribus urbes
Expleat, ac justis mortalia legibus aequet;
Unde scatet plene liquidi fons purus honesti:
Ex quo quid nosse, & quantum decet, ac quibus uti
Conveniat, quaeve elargiri, quidque periclis,
Sive labori est praebendum, qua parte decori
Danda opera, haurimus: nec non ut candida nobis
Relligio, & cultus divini Numinis insit:
Qua sine nil horum; esse potest, nec profore quicquā.
Quae cum sic habeant, quemnam de millibus unum
Invenias, qui tanta, ac non contraria curet?
Quem non praecipitem cunctarum inscitia rerum
Sic agit, ut nusquam titubet, nulloque feratur
Errore? at contra quis non ad parvula quaeque
Haeret, & offendit minimis obstantia rimis?
Quis non alterius quae sunt, iis certat abuti,
Seu fas, sive nefas? Ergo quis honesta benignus
Nunc opera inventus? quis inerti e pectore tristem
Segnitiem pellit? quis non vel turpia quaeque
Et facere, & fari consuevit? denique cui non
Vana superstitio mentem suspendit inanem?
Quid? quod avarities, & honorum insana cupido
Mortales adeo miseros exercet, agitque
Per scelera, & fraudes, per vim quoque, perq; ferinos
Et nocuos usus omnes, quo ducta furore
Non sibi, non aliis ullo sub tempore parcit.
O diras hominum pestes, & vulnera vitae!
Nec me animus fallit, quam non haec posse probari
In vulgus videantur: ita tamen ipse teneto,
Nullam aeque ingeniis sublimibus esse fugandam
Perniciem, quam quae misera sub pectoris ampli
Am-

Ambitione latet, sensim namque illud edendo
Deiicit, atque animi cogit mox esse pusilli.
Nec minus his fugiendus amor sceleratus habendi:
Quo nil sordidius, nil & quod ad ima ruentes
Nos adigat magis, ex altoque exturbet honesto.
Felices nimium Mortales, cernere si se
Interius possent! neque enim per devia quoquam
Errarent, sed iter rectum, certosque regressus
Instituant illuc, unde olim accedere terras
Posse datum est illis, & eodem posse reverti
Rursus pro meritis: ubi mens conversa superne
Principio rerum summo, proprioque propinquans
Insinuet prorsus solam sine corpore soli;
Felicique illic vita, vacuaque laborum,
Exemptaque libidinibus, curisque fruatur.
Hic erat ille animi risus spernentis aperte
Humana, & sese occulte tollentis in altam,
Quam quaerit, speratque viam; qua semper anhelet
Inventa, donec placidae per munera pacis
Corporea exutus turbarum labe quiescat.
Haec ego, non ut iter Bertuti notius exstet
Id tibi cum tu eadem per te sapis omnia, sed quo
Parvula significem vacuae conamina mentis,
Utque mea si forte aliquid prodesse virili
Jam valeo, tentem currenti subdere calcar.

GA-

GABRIELIS FAERNI
CREMONENSIS
CARMINA.

OLLA AENEA ET FICTILIS.

DUAS trahebat amnis ollas, aeneam
  Unam, alteram autem fictilem.
Sed ahena, proprio praegravata pondere,
  Sibique porro praecavens,
Suadere coepit anteeunti fictili,
  Conjungi uti vellet sibi;
Quo rapidum aquarum sustinerent impetum,
  Junctis utrimqtte viribus.
Cui fictilis; tua mihi, ait, vicinitas
  Non admodum placet, soror:
Nam sive te mihi unda, sive me tibi
  Prope adnatantem illiserit;
Ut sospitem te dura praestabit cutis,
  Fragilem meam sic conteret.

Potentiorum semper est vicinitas
  Vitanda tenujoribus.]

JUPITER ET MINERVA.

LEGERE proprias Dii sibi quondam arbores,
  Quam quisque vellet esse tutela in sua:
Quercum supremus Jupiter, myrtum Venus,
Pinum humidi tridentifer rector sali;
Apollo laurum, populum excelsam Hercules.

Mi-

Mirata enimvero est, Minerva, cur ita
Infructuosas legere voluissent, quibus
Tantum ad manum esset fructuosarum arborum.
Cui Juppiter caussam hanc roganti reddidit;
Ne existimemur fructu honorem vendere.
Tum Pallas: At vos facite quod vobis lubet:
Ego, inquit, oleam fructuum caussa lego.
Exosculatus filiam tum Jupiter,
O nata dixit, jure sapiens omnibus
Dicere saeclis: jure tu capitis mei
Propago. nam quod facimus, id nisi utile est,
Stulta omnis atque inanis inde gloria est.

ASINUS ET LUPUS.

CALCATUS asino clavus, in pede haeserat:
Quem lupus acuta fretus acie dentium,
Medicum professus, atque pactus praemium,
Extraxit: itaque exigere mercedem institit.
Obversus asinus, graviter os improvidi
Lupi, atque mediam calce frontem perculit.
Ibi lupus: jure, inquit, hoc mihi accidit:
Neque enim coquus qui sum, agere medicum debui.

Quam quisque novit artem, in hac se exerceat.

CORVUS ET VULPES.

INSEDIT altae corvus olim quercui,
Rostro rapaci casei frustum tenens:
Quem vafra blando adgressa sic vulpes dolo est:
Quam pulcram avem, quam splendide cultam intuor
Pennis decoris atque versicoloribus!
Salve, inquit, o generosa: quod si praedita
Cantu fuisses, summi eras aves Jovis.

His

His ille, magnae inductus in spem gloriae,
Cantu indecoro rauca solvit guttura.
Tum versipellis decidente caseo
Vulpes potita, corve tu, inquit, omnia
Habes abunde; mente duntaxat cares.

Qui coram in os te laudat, insidias struit:
Qui laude ficta ducitur, cor non habet.

CERVUS ET HINNULUS.

CERVO hinnulus olim filius dixit patri;
Et major es tu canibus & velocior,
Et ardua alacri fronte gestas cornua;
Cur ergo, quaeso, tam times eos pater?
Cui cervus: haec quae de me, ait, fili refers,
Sunt vera fateor: multa nobis contulit
Natura, multis provida instruxit bonis:
Sed ego latratum canis ubi primum audio;
Tum, vi abdita quadam, in pavorem & in fugam
Agor, inque pedibus omne praesidium est mihi.

Timidi & fugacis ingenii qui sunt, eos
Nulla arma, nulla texerint sat moenia.

CANIS, GALLUS, ET VULPES.

CANIS atque gallus longum iter quondam simul
Ingressi, opaco jam adpetente vespere,
Nacti arborem, ubi quiescerent gallus quidem
Fastigia alta frondeae adscendit domus:
Canis excavatum in caudicem se condidit.
Cum vero, ut adventante consuevit die,
Cantum edidisset gallus, adcurrens eo
Vulpes, eum rogabat enixissime,

De-

Descenderet suique faceret copiam;
Gestire se, animal tam canorum & musicum
Amplecti & osculari, & os agnoscere.
Tum fraude gallus cognita; cupio tibi
Quaecumque possum, commodare & obsequi,
Et esse tecum: sed tu, ait, quaeso huc prius,
Qui dormit infra, janitorem suscita,
Fores mihi ut recludat, unde ad te exeam.
Vocante vulpe janitorem, prodiit
Canis, agnitamque adortus, adversariam
Nil tale veritam dente laniavit truci.

Qui fraude agit, jure ipse fraude fallitur.

ASINUS ET EQUUS.

ASINUS beatum existimaverat quondam
Equum, quod adfluenter hordeo pastus,
Habitusque semper eleganter & laute,
Cutis nitore, obesitate membrorum,
Curam in se herilem, gratiamque praeferret:
Cum ipse interim ne vilibus quidem posset
Paleis famem & jejuna viscera implere;
Praesertim iniqua sarcina fatigatus.
Sed enim coorto forte bellico motu,
Cum armis opertum hero insidente vidisset
Equum apparari ad pugnam, & acriter saepe
Calcaribus vexatum in hostium turmas
Agi; unde vulneratus & gravi casu
Collapsus, animam vix trahebat adflictam:
Sententiam mutavit; & suam sortem
Prae ejus miseria rursus haud malam duxit.

Periculosum divitum statum spectans,
Pauperiem & arctam disce amare fortunam.

LU-

LUPUS ET GRUS.

OVEM lupo voranti os in gula haeserat,
Medicum ut necesse fuerit accersit gruem.
Ea pacta pretium, penitus in gulam lupi
Collo suo immisso, os molestum sustulit.
De praemio adpellante tum lupum grave,
Abi, inquit ille, abi impudens: sat praemii est,
Collum e lupi quod faucibus salvum refers.

Homines mali beneficium se existimant
Illis tribuere, in quos maleficio abstinent.

BUBULCUS ET HERCULES.

VIA in lutosa praegrave haeserat plaustrum
Mersis ad usque axem rotis.
Nihil hic bubulcus providere, nec sese
Opi ferendae accingere:
Tantum sedens, suamque conquerens sortem,
Magnum invocabat Herculem.
Cui nube fultus candida Deus, praesto
Fuit, & monere haec instititit.
Age, inquit, & tu enitere ipse per tete,
Atque id, quod in te est, expedi:
Stimulo boves, humerisque promove plaustrum;
Tum demum agentem gnaviter
Vocatus adjuvabo, ubique caelesti
Humana vota prosequar.

Vigilando, agendo, providendo quod possis,
Paratur e caelo favor.

PHI-

PHILIPPI BEROALDI
EPITAPHIUM ROBERTI
SANCTOSEVERINATIS.

NIL queror o Superi lethũ hoc. ſic occidit Hector,
Trajectus Pthia pectora ſaeva manu.
Sic duo Scipiadae pereunt, quos hoſticus enſis
In Tarteſſiaca dat regione neci.
Sic & Marcellus cecidit, quem bella cientem
Perforat hoſtili lancea torta manu.
Haec ſunt fata Ducum. pulcrum eſt cecidiſſe ſub armis
Mors bellatori convenit iſta viro.
Sic ego, ſic cecidi, ſed non inglorius. orbem
Implet fama mei nominis, atque polum,
Quantus erat dextra Pelides; Tullius ore;
Phyllirides herbis; Phoebus Apollo lyra;
Carmine Maeonides; Ladas pede; lumine Lynceus;
Viribus Alcides; relligione Numa;
Tantus ego in bello fueram. mihi tota ſub armis
Sub clypeo & galea vita peracta fuit.
Me puerum Mavors, & me Bellona virago
Omnia perdocuit munera militiae.
Qualis Pellaeus ductor Libycuſque fuerunt,
Romulidaeque duces, talis & ipſe fui.
Dum vult ſupremo duri certamine Martis
Sors dare me peſſum, ſuſtulit ad ſuperos.

LUDOVICI BIGI
PICTORII FERRARIENSIS
CARMINA.
AD STROZAM.

Cuncta Cleoneo flagrabant ſidere, neque
  Urbe gravem ruris ſollicitabat amor.
Haud procul egreſſus Sole inclinante, ſub ulmo
  Longo formicas agmine conſpicio.
E foveis pars haurit humum; pars claudit aquarum
  Oſtia conſtructis firmiter aggeribus.
Multae oris majora trahunt ſe forcipe grana;
  Averſae multae poſteriore pede.
Pars humeris molitur opus; pars educat aegras:
  Pars effert celebri corpora functa rogo.
Pars hiemis memor inſtantis, ne rurſus in herbam
  Humida ſuccreſcant ſemina, dente premit.
Quodque magis mirum eſt; inter tot millia nunquam
  Impedit egrediens introeuntis iter:
Quin potius, ſi quam videat ſub pondere victam,
  Erigit elapſam, ſaepeque faſce levat.
Cetera quid memorem? quae concurſatio? quanta
  Sedulitas? ſtudium quale? quis ordo foret?
Sic mecum: mene è ſomno miſerabilis unquam
  Eruero? nunquam cura ſalutis erit?
Tantillae ut ſervent animantes frigore vitam,
  Unanimes agitat quam gravis ecce labor!
Aſt ego divinae munitus acumine mentis
  Neſciero vitae conſuluiſſe meae?
Et, quod agunt pleriq; hominũ, magis aequora & urbes
  Circuero, ut grandes accumulentur opes?

Aut

Aut ego maluero ſcrutari pectore, quantum
  Diſtet ab humenti ſtellifer axis humo?
Undeque ſanguineo minitetur crine cometes,
  Unde pluant lapides, contremat unde ſolum?
Quid glomeret nubes? qua vi ſolvantur in imbres?
  Cur medio lateant aſtra minora die?
Et quibus erumpant agitata tonitrua ventis?
  Cur vaga tranſverſo fulmina calle ruant?
Inque cavis voces quae cauſſa reciprocet antris?
  Quid ſit fulgetrum, grando, pruina, nives?
Qua virtute levet cautes Magneſia ferrum?
  Extinguat tactas qua Salamandra faces?
Cur fluat & refluat, cur nunc ſublime feratur,
  Nunc humile, & ſalſa cur eat aequor aqua?
An queat Aeaea conſurgere mortuus, arte?
  An queat in terras carmine Luna trahi?
Cur alio lignum mergatur in amne, natentque
  Aera alio? atque aliis ſit calor intus aquis?
Scilicet his opus eſt venturae ad praemia vitae:
  Scilicet ad ſuperas hinc datur ire plagas.
Divitiae nec enim, nec multa peritia rerum;
  Sed nos felices mens ſine labe facit.
Ergo boni velut agricolae mala germina carpunt,
  Plus ferat ut culmo liberiore ſeges:
Digna ita vindicibus ne noſtra ſit ignibus arbor,
  Stroza, procuremus vellere, quicquid obeſt:
Ut cum vita breves toleraverit iſta labores,
  Aeterna requie detur utriſque frui.

AD PICUM.

FIRMUS amor, ſtudioſa fides nil ferre recuſat:
  Bigulus ecce tuus, Pice, vocatus adeſt.

Non hunc aſperitas, non hunc ignota viarum
  Semita, non patrii detinuere Lares.
Nec mirum. mens hujus enim ſub pectore ſemper
  Tecum habitat: corpus, quo lubet, illa trahit.

AD PAMPHILUM. AMICITIA.

SI me per terras, ſi juſſeris ire per aequor
  Scrutabor terras ſedulus & maria.
Nullaque me poterunt loca deterrere ferarum,
  Nec furor undoſi turbidus Oceani.
Contemnam glaciem, ignitoſque Hyperionis aeſtus;
  Contemnam ventos, ſaxa, nives, pluvias.
Forte loqui videor nimium ardua Pamphile? nullum
  Difficile eſt verae pondus amicitiae.

JOANNIS TONSI

AD VESPASIANUM GONZAGAM

IN OBITU ANNAE UXORIS.

DUM Belga vires horret Ibericas,
  Illata nondum ſignaque finibus
    Formidat, & nomen Philippi
      Jam poſitis veneratur armis:
Quae cura mentem nobilior tuam
Exercet? an tu quo ſuperes modo
  Vim barbaram, eviteſque fraudes
    Conſilio meditaris alto?
Tu vero avitis quae imperiis tenes
Longeque lateque oppida, moenibus
  Intentus es munire, firmam

Ut

Ut ſtatuas populis quietem?
Quodcunque tractas, non niſi maximum
Dignumque virtute eſſe poteſt tua,
Quam luce pura clariorem,
Exitus efficiet ſecundus.
At me immerentem deſtituit levis,
Fortuna, poſtquam principio ſatis
Afflarat, & caelum fugatis
Reddiderat nebulis ſerenum.
Majori ut eſſem ludibrio, mea
Cum portu in ipſo fluctibus obruta
Et littori colliſa, ſaevo
Naufragio periit carina.
Nam non avaram quae dederat manum
Praeceps in auras ſuſtulit omnia,
Et terga vertit, ſe citato
Proripiens inimica greſſu.
Infeſta multis illa quidem, ſacris
Infeſtior ſed vatibus: optimum
Nam Julianum incluſit atro
Carcere delicias ſororum,
Phoebique amores: hunc decuit gravi
Cura ſolutum fundere naenias,
Et conjugis deflere moeſto
Fata tuae miſeranda cantu.
Ah prima & ah vix exorientia
Felicitatis gaudia maxima!
Tecum fruentem falce preſſit
Protinus invida mors rapaci.
Non illa dulcis mollia filiis
Adulta vidit membra, nec audiit
Jam lacte depulſum, tenello
Ore leves iterare nugas.

POMPEII UGONII

CARMINA.

DE MARCI ANTONII COLUMNAE IN URBEM INGRESSU.

JAM mihi praeteritos videor revolutus ad annos;
Et vitam antiquis ducere Consulibus.
Omnia tunc Latias metuebant Regna secures,
Litore ab Eoo litus ad Hesperium.
Aureaque immoto stabant Capitolia saxo:
O quae tunc species, qui decor urbis erat?
Quippe novis semper gaudebat Roma triumphis,
Intexens ducibus laurea serta suis.
Captivosque trahi Reges sub vincla videbat,
Per medium populi suspicientis iter.
Cernere erat raptis confertas arcubus hastas,
Et nitidis vectas curribus exuvias,
Qualia nunc multo vidit post tempore Roma,
Mox etiam in priscum restituenda decus.
Ludicra non ficti sunt haec simulacra triumphi,
Nec volucris casus gaudia tanta facit.
Nec retro aetherium Majae pater impulit axem;
Ut quae olim fuerant, nunc quoque signa micent.
Gratia Marce tibi, quod se nunc aurea compsit,
Quodque ipsi facta est aemula Roma sibi.
Tela, manusque tuas silvis redimita Zacynthus
Sensit, & Jonii caerula turba freti.
Gurgite sub salso pisces fugere: repente

Implicitos Nymphae dissoluere choros.
At scelerata acies ferro demissa sub Orcum,
Purpureas tetro sanguine fecit aquas.
Te modo defunctum navalis munere belli,
Victorem revehit splendida palma domum.
Adspice tam varia cives in veste decoros,
Et celsa in plausus tecta referta tuos,
Romanasque nurus stratis inhiare fenestris;
Et plenas pompa praetereunte vias.
Sentin', quo strepitu resonent turrita Deorum
Culmina? & excussae sulfuris igne pilae?
Et bijuges thedas ultro citroque volantes?
Haereat utque oculis pendula turba tuis?
Vive diu, patriamque novis invise triumphis
Gloria Tarpeii magne *Columna* jugi.
Hoc mihi sit curae noctesque diesque precari,
Seu via te terrae, seu vaga ducet aqua.

IN TURCAS.

QUID jam, quid, Scytha, proderit
Crudelis, toties, ut dominam aequoris
Servili premere jugo,
Illevisse nigro spicula toxico?
Quid dura pice nauticas
Adstrinxisse trabes, velaque turgida
Solvisse Jonio mari?
Frustra jam Lelegas, & Nomadum genus,
Et turmas equitum Africae,
Frustra Massagetas, regnaque Caspia
Accerses. miser o miser
Ictum non ne vides foedos in imperi
Summam perniciem tui?

Sentin' caeruleis ut fremit Hadria
Imo e gurgite fluctibus?
Non flavum Tiberim respicis, & Tagum?
O quantus ducibus tuis
Sudor, quantus equis instat anhelitus!
Quantus remigibus labor!
En nos: rumpe moras. exeat, exeat
Infausta ratis alite.
Contra magnanimae robur Iberiae,
Contra nobilis Hadriae
Florem quid poterit? quid? si Italam manum
Agmen Marce per hosticum
Mittas? quid, si etiam Romulidas tuos?
Vertet Barbarus illico
Fracto terga'genu: te revehet domum
Curru gloria Martio
Ornatum foliis tempora Delphicis.

BASILII ZANCHII
HYMNUS PACIS AETERNAE.

O Quae Caelicolum sedes, quae lucida templa
Prima tenes, prima ante omnes fulgentia cernis
Ora Dei, totoque nites pulcerrima caelo,
Huc aditum, Pax alma, feras pede diva secundo;
Et tecum terras non dedignata labantes,
Devolet auratis splendens Concordia pennis,
Unanimis soror, & mistum cratera recenti
Nectare, & aeternum secum ferat aurea cornu
Puniceis plenum pomis & divite silva.
Te duce larga Ceres flaventibus adspicit arvis
Agricolas; vestitque suo jam palmite colles

Liber, & evinctae texunt umbracula vites,
Vinitor & mites decerpit collibus uvas;
Et foetus Pomona novos foecunda ministrat,
Adventuque tuo laetanti daedala tellus
E gremio jam fundit opes; jam caerula Tethys
Mittit inexhaustas utroque a littore merces.
Ingenuae florent artes, atque otia dia.
Et divina pii meditantur carmina vates.
Te Pietas, te cana Fides, Astraeaque virgo,
Quacunque ingrederis, dominam comitantur euntê.
Te regnante, novi quondam sub origine mundi,
Et felix aetas, & libera saecla fuere.
Largius & plenae spumarunt nectaris urnae.
Ergo agedum o sincera quies, & casta voluptas,
Praepetibus pennis, varioque insignis amictu,
Labere Diva polo, mentique illabere nostrae:
Qualis, ubi Eoo revocavit saecula busto,
Laetus ad Aethiopas remeat, terrasque beatus
Adspiciens laeto Phoenix clangore salutat.
Insontes populi visa procul alite currunt,
Allapsamque polo excipiunt, gaudentque tuentes,
Ut quondam reduci laetantur vere volucres.
Jam placidis Tiberinus ovans tibi surgit ab undis,
Rorantes viridi praecinctus arundine crines;
Urna humero in laevam, dextro subnixa fluentum
Versa vomit, repletque undis spumantibus alveum,
Hinc Anio, liquidisque fluens discursibus Almo,
Et circum longo Laurentes agmine Nymphae
Advexere tibi gemmantes littoris algas;
Et quae rore graves Indae dant pignora conchae,
Oceani quaesita vadis advexit Oreas.
Te Romana nurus, teque inclita turba Quiritum,
Implorat, sertoque comas viridantis olivae,

Et lauro, plexiſque roſis tibi laeta coronat,
Et Capitolinis viſendam ſedibus olim
Marmoream parat effigiem; cui thurea dona
Incendat, patrioque ferat ſolennia ritu,
Sollenneſque aras votivaque ſacra frequentet;
Teque tuumque canat ventura in ſaecula nomen.
Tu tantum Auſoniam Romanaque moenia felix
Inviſas; Latiiſque volens Victoria caſtris
Advolet, & virides ſubſternat Gloria lauros.
Jam tandem imperii ſedes Regina triumphis
Quacunque auricomũ Phoebus jubar aethere pandit,
Quacunqne Heſperio tellus protenditur axe,
Qua calet, & glacie algenti riget obſitus orbis,
Attollat caput, & priſcis decora alta trophaeis
Adiiciat, nec dura pati pro laude recuſet.
Jam tandem dominã agnoſcant Hebruſq; Taguſque,
Sentiat & tumidi jam mollior accola Rheni,
Et ſeptem geminis reſponſet collibus Echo,
Victor, io, Romanus, io, nova ſigna reportat;
Praecedantque duces onerati colla catenis.
Sub te ferratos belli Concordia poſtes
Effringet, caput infandum furialis Enyo
Tartareis condet tenebris & nocte profunda.
Ipſa ſinu ſciſſaque gemens Diſcordia palla
Cocyti ſtagna alta petet; violentaque Bella
Involvetque chao atque Erebi pallentibus umbris;
Et tandem fumante vado Phlegethontis avari
Immerget pater omnipotens; qui ſanguine gnati
Unigenae Pacem terris caeloque reduxit.

JO. ANTONII
TAYGETI
BRIXIANI
CARMINA.

ECLOGA NAUTICA: IDMON. SEU CHRISTIANORUM ET TURCARUM NAVALE CERTAMEN.

EURIDAMAS. IDMON.

DIC age, Pieridũ princeps, dic maxime Apollo,
Proelia caeruleas Neptuni gesta per undas,
Dũ stimulis acti Eumenidũ gens effera Thraces,
Christicolumque acris pugnat manus. o bona Musae
Progenies, primis colui quas semper ab annis,
Ecquae erit e vobis, quae me graviora canentem
Laurigeras inter silvas, Heliconis ad undas
Sistat, & optata cingat mihi tempora fronde?
At tu, quem dulces venientem in luminis oras
Astraea, Autumni portas, chelasque relinquens,
Ipsa suas docuit leges, cuique innuba Pallas
Diversos caeli motus stellasque micantes,
Et dedit occultas rerum cognoscere causas,
Macte tuis, Federice, actis, & sanguine avito,
Huc ades, & nostris faveas precor optime votis.
Non injusta peto; tu nam persaepe recessus
Aonios lustras; & dum felicia condis,
Ipse tua intentus miratur carmina Phoebus.

Gno-

Gnosius Euridamas, quo non praestantior alter
Per vada salsa citam remis impellere puppim,
Et regere; & soles tempestatesque futuras
Praecinere, & variae faciem cognoscere Lunae,
Instantes cupiens solers vitare procellas,
In loca tuta ratem impulerat, portumque tenebat,
Qua formosa situ, gemina formosior arce
Corcyra, aequoreas late prospectat in undas;
Dumque hic Fortunae ereptus, non horret aquarũ
Agmina; vicino venientem in litore vidit
Idmona, remigio doctum, puppisque magistrum,
Talibus atque illum compellat vocibus ultro.
Eur. Fallor? an ista mihi quae nunc occurrit imago.
Est umbra? an potius, quod mallem, est Cyprius
Idmon?
Idmon es, o dulci sospes quod vesceris aura,
Quam laetor dilecte mihi! longaevus Amilcon
Dixerat obsessae tendentem ad moenia Cypri,
Atque arma, atque epulas, & Bacchi dona ferentem;
Effugere armatas classes; atque agmina Thracum
Non potuisse, imis quin te vel mergeret undis
Dira manus nimium, vel adacto in pectora ferro
Heu miserum, aeternis noctis demitteret umbris;
Sed te, quae tantis Idmon fortuna periclis
Eripuit? nostris & quis te reddidit oris?
Idm. Euridama, ut senior multis narravit Amilcon,
Milite cum patriis cuperem succurrere terris,
Et Cererem obsessis vectarem, & vina carinis
Ismariis ego praeda fui; sed compede vinctus,
Et jussus validos manibus propellere remos,
Verbera & assiduae sensi fera vincla catenae,
Optatam donec fesso Deus ipse salutem
Attulit, & celso insontem miseratus Olympo est;
Nam

Nam dum Threiciam telis & remige classem
Et ducibus penitus spoliat, primosque trucidat
Christicolum delecta cohors; mihi pristina tandem
Reddita libertas, spoliisque oneratus, & auro
En adsum, non umbra quidem, sed Cyprius Idmon.
Eur. Tune igitur praesens tanti certamina belli
Horrida vidisti, Ductorum & funera noscis?
Haec nobis avidis dum singula quaerimus, ante
Fama loquax obscura tamen, narrare solebat,
Non veris vera involvens; Tu protinus ista
Dic quaeso dilecte Idmon; pendebimus omnes
Ore tuo; en jam te nautarum turba coronat.
Idm. His oculis, his inquam oculis haec praelia vidi;
Dicam igitur, magna est etiam meminisse voluptas.
Threicius, miserae post diruta moenia Cypri,
Ereptis laetus spoliis, regnoque, Tyrannus,
Jam tercentenis sulcabat puppibus aequor,
Scilicet ut pelago, Venetoque Leone subacto,
Et frena, & magno leges imponeret orbi;
Demens, qui tantis contraria Numina votis,
Nec vidit capiti ultrices instare sorores;
Acer Halys, crudelis Halys, quem patre Doriclo
Conceptum, furti gelidas ad Strymonis undas
Edidit Alcimede, primis assuetus ab annis
Ferre arma, & celerem cornu torquere sagittam,
Atque pedum cursu ventos superare; & in orbem
Vertere cornipedem rapidum, cursuque citato
Comminus adversos hastas effrangere in hostes;
Frigora tum, solesque pati, Boreaque furente,
Huc illuc vastum ratibus lustrare profundum,
Primus erat classis ductor; quem proximus, armis
Consilioque valens sequitur Portunus; & audax
Sirrochus medias remis transire procellas;

Nec

Nec non & Libyae ſolio ſceptroque potitus
Ruzzalis, Occhialiden populi cognomine dicunt.
Ergo ubi fama Pii Paſtoris nuntia ductu,
Hiſpanas properare manus; Latiaſque cohortes,
Et cecinit lati magnas per marmora ponti
Adventare rates, ultro quae bella laceſſant
Horrida, & Iſmarias valeant exſcindere gentes;
Armorum, claſſiſque novae numerique potentis
Non bene certus Halys, varias ſub pectore curas
Volvebat; tandemque animos ſententia ſedit,
Certior armatos illi dum nuntius hoſtes
Narraret, claſſemque mari decedere aperto,
Naupactique ſinus tutos, portumque tenere.
Et jam Cimmeriis properans nox humida ab antris,
Duxerat obſcuras mundum complexa tenebras,
Solaque candentes nobis Latonia vultus
Oſtendens, tremula veſtibat caerula luce;
Cum ſolitus praedas vectare, & vivere rapto
Carcozza, humentis per amica ſilentia noctis
Mittitur, exploret noſtrae qui robora gentis,
Telaque & excubias claſſis, numerumque reportet.
Nec longum in medio tempus, cum nare per aequor
Chriſticolum pictas cernit Carcozza carinas:
Dumque acie cunctas numerare & cernere acuta
Nititur, eripiens miſero mentemque aciemque
Ipſe Deus, nigra velavit lumina vitta.
Nam claſſis numeroſa, potens, magnumque futura
Thracibus exitium, ſegnis, nec idonea bello,
Nec poſſe Iſmariae viſa eſt concurrere claſſi.
Vix Aurora polum roſeo patefecerat ortu
Lurea; cum fati ignarus, ſortiſque futurae,
Ecce hilaris Carcozza redit, mox talia fatur;
Chriſticolae pereant omnes: Victoria noſtras

Laeta

Laeta ſuper volitat puppes, optataque nobis
Jampridem, felix tandem ſors obtulit ultro;
Heſperias nuper, luſtro dum cuncta, triremes
Perſpexi numero exiguas atque artis egentes,
Militis armorum atque ducum. qui bella moramur?
Linquite ductores portus, & aperta petamus.
Talia dum memorat, ſubito per inania magnus
Auditur multo mixtus ſtridore volatus;
Dumque oculos Thraces mirati ad ſidera torquent,
Acriter ecce vident, multo cum vulture, magnum
Pugnantem Jovis armigerum: atque hoſtilia aduncis
Unguibus, & ſaevo rapientem viſcera roſtro;
Sanguinis unde ingens ſupra caput affluit imber,
Turbati ſtupuere omnes, quidque omina poſcant,
Quidve ferant, tremula perquirunt voce. Ducumq;
Primus Halys dubias mentes & pectora firmat.
Auſpicia e caelo nobis patefacta ſereno
Chriſticolas horrenda petunt: gaudete potentis
Strymonii regis proceres; & bella parate;
Nam qui nos avium tinxit cruor, omnia nobis
Dat certa, Heſperio fluxurum ſanguine pontum,
Dum noſtrum illorum reſerabit pectora ferrum.
Sic fatus, ſocios ad pugnam hortatur ovantes,
Et portum linquens, latum migravit in aequor.
Ipſe audax primas acies Carcozza regebat;
Sirrochus dextras agit, Occhialideſque ſiniſtras;
Piratum ſcelerata cohors poſtrema coercet.
Hos inter, ſpes magna ſuis Portunus, & ingens
Ibat Halys mediique ambo, media agmina ducunt.
Interea juſti ſuccenſus Martis amore
Magnus Joannes, Auguſti invicta propago,
Heſperiae cladis, & ſparſi ſanguinis ultor,
Ad bella hortatus ſocios, Superoſque precatus,

Agmen agens aderat magnum; classemque pararat
Quae posset densas Turcarum evertere turmas;
Cui comes it Venetum spes magna Venerius heros,
Et Latiae columen gentis lumenque Columna
Magnus: & Ursini gemini duo fulmina Martis,
Corneaque Ascanius Ductor clarissimus armis;
Atque simul medias ducunt miro ordine puppes.
At Ligurum decus egregium Diis aemula pro es;
Bella fremit forti praecinctus milite, Princeps
Aurius, & dextrum ducit latus; inde sinistrum
Barbadicus agit fortis, cui cruda senectus
Non minuit validae vires animumque juventae;
Alvarus & rigidi priscus Mavortis alumnus
Posteriora tenet, magnae anteriora triremes.
Ut primum mira tot ductas arte carinas,
Tot signa, & proceres tantos, tot lintea vidit,
Maestus Halys, multa pressus formidine pectus
Obstupuit, siccisque diu vox faucibus haesit;
Jam quid agat, nescit, placidos nunc denique vellet
Naupacti tenuisse sinus; tamen ipse timorem
Dissimulat classemque truces convertit in hostes.
Nec mora, Christicolae occurrunt; castusq; sacerdos
Ostendens vexilla crucis sublimia, Turcas
Territat, & magna clamans sic voce profatur.
Aeternum celso suspensus stipite Christus,
Aeternum vivat, vivant quicunque sequuntur
Dilectae vexilla Crucis; mittantur ad umbras
Tartareas, Erebique domos, gens perfida Thraces.
Sic erit: ecce tonat laevum Deus, ipsaque nobis
Carbasa felici complet turgentia vento.
Ergo utrinque pari concurrunt impete classes;
Fit fragor, & clamore virum, clangore tubarum
Aequora lata sonant magno, caelumque remugit;
Aer-

Aerque & ſtrictis collucent enſibus undae.
Majores aliis Venetum, armataeque triremes
Et ſponte ante alias prima in certamina miſſae.
Saepius aeratas valido conamine glandes
Sulphureo jaciunt igni, quo murmure magnos
Aequoreis eredas ſcopulis concurrere montes.
Tunc igitur laceraeque rates, caeſaeque cohortes
Turcarum; ſalſis late labuntur in undis.
Cum tot peſtiferas caedes, tot damna ſuorum
Reſpiciens furibundus Halys, jubet ocyus omnes
Ictibus ignitis auferri & credere puppes;
Sed nec juſſa valent: denſae nam grandinis inſtar
Ferrea pila ruit, Geticas quae denſa triremes
Quo ſecumq; ferant, lacerat, ſternitque, premitque.
Sic igitur coecas Orci demiſſus ad umbras
Thrax perit, & ſubito lunatum ſolvitur agmen.
Inſtaurant acies, adduntque minantia verba
Pro ſe quiſque Duces Getici, pugnamque capeſſunt.
Atque hic tormentis jaculiſque & milite ſeptus
Sirrochus medias acies circundare tentat
Chriſticolum, ancipiti qui tunc certamine nixi
Comminus Iſmarias contra pugnare catervas.
Non tulit hoc ſolers, & noſtrae cauſſa ſalutis
Magna, ſed adverſum tunc Barbadicus in hoſtem
Agmen agit propere adveniens; atque impedit orſa,
Nec ceſſat, donec telis, atque igne voraci,
Et glande, hoſtiles, capto Ductore, carinas
Perdat, & innumeros mittat ſub tartara Thracas.
At Carcozza manu fidens levibuſque ſagittis,
Sirrocho amiſſo manet imperterritus atque
Saevit, & Auſonium pharetram conſumit in agmen;
Sternit Atyn, ſternit Lalagem, ſternitque Theronē,
Et Fabarim, & puerū Lauſum, & ſpē patris Abantē
Ha-

Hadriaci; invitois genitore ad bella profectus,
Unica progenies, matris pulcherrima cura,
Aeternum miseros liquit sine prole parentes.
Additur his juvenis Superantius; hic prius acrem
Senserat emissam corpus strinxisse sagittam;
Ergo dum manibus vulnus bis terque retractat,
Ecce illi Ismarium penitus cava tempora telum
Traiicit: ille dolens crudeli vulnere, letho
Volvitur & Venetas moriens reminiscitur oras.
Talia per nostram geminat dum funera classem
Carcozza; assuetus prima tormenta juventa
Tractare, & celeres ex illis mittere glandes;
Cenomanum genus, illorum quos Tropica vallis
Educat. hunc torvo jamdudum lumine Pentheus
Adspicit, & motus gressusque observat ovantis,
Si quando valeat tantos abolere furores,
Classibus & veterem Latiis arcere ruinam.
Vix apicem puppi extulerat, cum protinus illi
Glans violenta cavo contorta ut fulmen ab aere
Transadigit galeam, cerebrique in ventribus haesit.
Interea mediis utrinque in classibus ardens
Saevit Bellona, & resonat clamoribus aether.
Nam cupiens Thracum miseras ulciscier umbras,
Et Regni magno sese jactare triumpho,
Clamat Halys: saevumque gemens, & fervidus ira,
Ipse suam furibundus ad horrida bella triremem
Ducit, & instat agens nec mente minora volutat
Augusti proles celeri sed puppe propinquat;
Utrasque innectunt donec retinacula puppes
Mutuo & alternis in pugnam viribus itur.
Et sonus hic ingens, hic pugna asperrima surgit,
Quanta nec ipsa unquam vidit longaeva vetustas,
Nec nostra inspexit, nec cernet serior aetas.

Threicii jaculis, & curvo fortiter ense,
Glandibus Hispani, & rutilis mucronibus instant,
Pix, & flamma manu ferrumque, & saxa, sudesque
Sparguntur, coeunt mixti, pereuntque vicissim
Hispani, Thracesque simul, mixtique Latini,
Et pede pes, manibusque manus miscentur; euntque
Quo vel pugna magis saevit, vel densius agmen.
Hic videas passim remos, & trunca natare
Corpora, & hinc illinc magnas ardere triremes,
Sanguineisque ingens consurgere fluctibus aequor.
Ipse suas medius lorica & casside fulgens
Austriades, tali compellat voce cohortes;
O pubes lecta, o magni genitoris alumni,
O fortes pugnare viri, nunc denique tempus
Eoas Christi vexilla extendere in oras.
Sic fatus, magnum confestim fervidus ensem
Vibrat utraque manu, & medios prorumpit in hostes.
Quem primũ, quem postremum; fortissime Prĩnceps
Sternis? & aequoreis miseros quot mergis in undis?
Ipse tibi ante pedes ingentem stragis acervum
Constituis te saevus Halys te Thracia classis
Horret, & adversum, dum das tot corpora letho
Advenisse putant Haemi de culmine Martem.
Quae dum Threicius miratur funera Ductor,
Nec videt Hispano jam posse obstare furori,
Seque suamque ratem, innumeras resonante carinas
Voce vocat; vocat & Geticas clamore phalanges
Ingenti, atque ducum tot millia cogit in unum.
Scilicet ut laetam successu & Marte secundo,
Hispanam expugnet geminato robore puppim.
Primus, ut insidias solers cognoverat; ergo
Nos erimus segnes ad bella? Venerius inquit;
Et simul in Geticum jam puppes verterat agmen;
Hunc

Hunc ſuper accurrere equites, equitumque magiſter,
Quos Melite inſignis miſit, venitque Columna
Intrepidus magnae nitidiſſima gloria Romae,
Corneaque, & ferro Urſini facibuſque coruſci.
Non mihi centenas tribuant ſi numina linguas,
Oraque Neſtoreo ſint noſtra imbuta lepore,
Tot pugnas, ſaevaſque neces, tot vulnera poſſim.
Dicere, tot valeam laceras numerare triremes.
Viderat Iſmarium de puppe Venerius Acin,
Qui doctis carus Muſis, falſique ſacerdos
Maumethis, magna Maumethen voce vocabat.
Protinus ecce ſenex ardentem lampada torquet
Incauti in faciem, illius diadema reluxit
Linigerum; accurrunt ſocii, properantque voracem
Undanti lympha, manibuſque extinguere peſtem,
Non tamen haec proſunt, miſeri quĩ flamma rubentẽ
Conſumat vultum, & totos deſcendat in artus.
Inde alias, aliaſque faces jacit impiger: illae
Conſumunt tabulas; ratibuſque hoſtilibus haerent.
Dumque viri trepidant intus, Vulcaniaque omnes
Militiae obliti certatim incendia vitant,
Cum ratibus mediis ſubito exponuntur in undis;
Extemplo his actis, aeratam corripit haſtam,
Datque neci hoſtiles turmas agitatque cadentes
Per mare, & ingenti redeuntes cuſpide pellit.
Parte alia clypeo fulgens atque enſe Columna,
Magnanimuſque Urſinus adeſt, Thracũque viciſſim
Innumera aeterno demittuut corpora ſomno.
Portunique ratem, Getico qui milite, nuper
Sperabat magnae properare ad moenia Romae.
Cum domibuſque Dei ſacrata evertere templa,
Invadunt: ille Auſoniae tot robora gentis
Adſpiciens, pugnae inceptae, oblituſque pudoris,

Dat terga, atque suam Ducibus dat habere carinam;
Et jam Baeticolum valida comitante caterva
Austriades, Thracum primos, primamque triremem
Atque ipsum superarat Halyn: furit impete vasto
Hispanum generosa cohors; lacerantque, cremantq;
Undique, & hostilis spoliatur remige puppis.
Cum fractos cernens socios, ereptaque signa
Moestus Halys, manibus fulgentia proiicit arma,
Et tali Austriaden compellat voce ruentem.
Per fortunatas invicti Caesaris umbras,
Per te, per magni felicia fata Philippi,
Me saltem aetherea captivum vescier aura
Magne sine: ingentes sulcant mihi caerula puppes,
Est Thracum mihi magna phalanx, sunt divitis auri
Pondera: tu spoliis tantis praedaque potitus
Omnia solus habe. Austriades cui talia reddit:
Non auri me sacra fames, non denique praeda
Impulit, ut Geticas delerem Marte catervas,
Sed Christi me vera fides, quam perfide tantum
Persequeris; morere infelix; & talia fatus,
Cum galea infidum valido caput amputat ictu,
Illud & arrecta gestandum fixit in hasta.
Atque ea dum nostris felici Marte geruntur,
Marte potens, pelago assuetus patiensque laborum
Occhialides, flammis, ferroque, & glande ruenti
Ausonidum armatas penitus, lectasque triremes
Straverat, atque viros lucis spoliaverat aura;
Et Liguris nisi dextra Ducis praeclaraque virtus
Obstasset fortique viro, atque immania coepta
Turbasset; nunc laeta minus, nobisque profecto
Esset cum multo Victoria parta cruore.
Hostibus ille igitur caedes ac damna rependit
Glandibus, igne, manu, saxis, ferroque rigenti;
Oc-

Occhialidiſque ratem ſaltu petit, atque trucidat;
Turcarum proceres multos, & turbinis inſtar
Fulmineus, gladio nunc hos, nunc excipit illos;
Atque metu trepido multos petere aequoris undas
Cogit, & infirmis pontum tranare lacertis.
Cum tandem Thracum media inter funera vidit
Occhialides ardens, illumque affarier orſus.
Non Ligurum calcas puppes, non Itala cernis
Agmina, ſed medium cingunt hoſtilia tela,
Hoſtileſque Duces; ergo ſpolia iſta relinques
Atque animam, & noſtris moriens addere triumphis.
Dixerat, & celerem magno ſtridore ſagittam
Curvato cornu ſubito contorquet; at aurae
Excipiunt vulnus, ductor nulla Aurius olli
Dicta refert; magnis ſed vibrans protinus enſem
Viribus adverſum properat furibundus in hoſtem.
Extemplo gladium praeceps fugit ille cruentum;
Inque aliam ex alia ſeſe jacit ipſe triremem;
Hortaturque ſuos; validos impellite remos
O ſocii, properate fugam mihi terga flagello
Mars quatit & noſtris jam non favet amplius actis.
Talia cui Ligurum Ductor reſponſa remittit.
Quo fugis Occhialides? meritum ne linque triumphũ,
En adſum, ſpolia iſta habeas nihil ille ſed aequor
Verrit, & abſcuras quaeritque, optatque latebras;
Et fugiens ſocios duro in certamine linquit,
Et miſeras audit voces, gemituſque cadentum.
Sic Thracum claſſe abſumta Ducibuſque fugatis,
Et caeſis, noſtris favit Victoria votis.
Ductores ſpoliis, & praeda divite laeti
Heſperii, multis complent clamoribus auras
Certatim, & caris dum multum amplexibus haeret.
Laetitiae dant ſigna novae, & dum ſingula luſtrant,

Armaque, flexibilesque arcus, pictasque pharetras,
Tormenta, ereptas puppes, ereptaque signa,
Seminecesque Duces; & dum quamplurima Thracũ
Corpora caesa vident, & millia captivorum
Innumera; expleri nequeunt, gratesque Tonanti
Et Superis reddunt, onerantque altaria donis.
At nobis, qui Turcarum fera vincula passi,
Christicolis, veteres solvunt, adimuntque catenas,
Quid dicam Euridama? cunctis quamplurima pectus
Gaudia pertentant, atque haec majora fuissent;
Ni Barbadicus longo deflendus in aevo
Turbasset laetas inopino funere mentes.
Ille etenim hostiles superat dum Marte triremes,
Threicio periit lumen confossus ab arcu.
O decus eximium Patriae, lumenque tuorum,
Marte senex celeber, celeber praestantibus actis;
En te pro meritis alti plaga lucida caeli
Suscipit & variis cingunt tibi tempora sertis
Aetherei proceres. en nos lacrimas, gemitusque
Fundimus, atque tuo geminamus dona sepulcro.
Tempus & illud erit, Pario cum marmore, & auro
Excelsum simulacrum ingens, patria optima ponat,
Teque sui & Latii libertatisque parentem,
Dicat, & aeternis mandet tua nomina chartis.
Eurid. Sic Thracũ infaustas Idmon carissime pugnas,
Sic & Christicolum narras felicia facta;
Noctibus ut tecum totis, tecumque diebus
Esse velim, & tantos persaepe audire labores.
Sed vos o socii, postquam Deus ipse ferocem
Contudit, & nostris pepulit de finibus hostem;
Adsitis precor unanimes, & templa petamus,
Votaque thuricremas illi solvamus ad aras.

EJUS-

EJUSDEM ELOGIUM.

INTERMISSA diu curis, trepidoque pavore,
Dum timet Iſmarias Itala terra manus;
Hue ades, aſpiraque mihi, Paeanaque laetum,
Atque novum carmen nunc mea Muſa cane:
Sed ridens hilariſque veni: nunc indue pallam
Candentem; auratam nunc age ſume lyram.
Vos quoque qui celſo ſuſpenſum in ſtipite Regem,
Atque unum colitis tergeminumque Deum,
Ecquis erit ſacras qui non procumbat ad aras,
Ingerat & ſacris thura cremanda focis?
Spargite odoratos flores, atque urite meſſes,
Quas Arabum e terra divite nauta vehit:
Atque viri, atque ſenes, pueri, innuptaeque puellae,
Fundite cum multa munera caſta prece.
Ille ferox, Getici nuper ſpes magna Tyranni,
Auſoniae populis qui modo terror erat,
Qui modo felices populatus moenia Cypri,
Et rura, atque urbes divitis Illyriae,
Exſul, inops, claſſe amiſſa, & rerum omnium egenus,
En periit telis Barbarus, Heſperiis.
Captivos viditque ſuos, captivaque tela;
Suſpenſa & ſacris parta trophaea tholis.
Vos quorum nobis Victoria parta cruore eſt,
Et ſimul eſt longo tempore parta quies:
Seu veſtra in gremio tellus complectitur oſſa,
Seu tumuli vice vos aequora lata tegunt;
Panchaeos vobis tellus ſubmittat odores,
Floribus & ſemper pulluletur urna novis:
Et magni Nymphae proles pulcherrima Nerei
Excipiant placido molliter oſſa ſinu.

Nos vacuum vobis tumulum, exequiasque paramus,
Manibus & gratas solvimus inferias.
Cernitis illustres animae solennia dona?
Auditis querulis verba iterata modis?
En vobis castus geminat pia verba Sacerdos,
Spargit aquam, & tumulo thura Sabaea cremat:
Ecce rogat requiem: Manes salvete beati,
Salve o Pieriis turba canenda choris.
Vobis pro meritis animae, jam patria caelum est,
Et vestro data sunt astra terenda pedi.
At legio hostilis damnata in nocte profunda,
Obscoena aeterno crimina in igne luit;
Quam semper terno latratu territat ingens
Cerberus, aeratas dum jacet ante fores,
Atque feros diris crines foecunda colubris
Tisiphone, assiduo verbere terga secat.
Sed vobis, quos incolumes Victoria felix
Servat, & illaesos vivere fata volunt;
Quas agedum laudes, quos decernemus honores?
Et quis laudato vos satis ore canat?
Magnificus vobis debetur jure triumphus:
Nunc aperi pompas euge, triumphe, tuas.
Auratum, Heroes magni, conscendite currum,
Et victrix circum tempora Laurus eat.
Quique vehunt ipsis efflantes naribus ignes,
Compita per nivei conspiciantur equi:
Et post devictae veniant longo ordine gentes,
Vectetur media Barbara praeda via;
Armaque, flexibilesque arcus, pictaeque pharetrae,
Telaque Threicia non jacienda manu.
Inde etiam ereptas puppes, ereptaque signa,
Et pugnam ostendat picta tabella novam.
Nam Thrax; ut sensit Venetum adventare Leonem
Vidit

Vidit & Hiſpani ſigna tremenda Ducis;
Adventu infelix ſubito perterritus hoſtis,
Optabat celeri terga dediſſe fugae,
Non tulit hoc Heros magni clariſſima proles
Caeſaris, Auſtriadum lumen, & Heſperiae:
Sed claſſem curvum ſubito lunavit in arcum,
Barbaricaſque adiit Marte favente rates.
Quis fragor auditus? quantos tormenta boatus
Aerea, quaeque cavae ſigna dedere tubae?
Territus ipſe pater ſonitu Neptunus, aquarum
Ima adiit, clauſis delituitque locis:
Et preſſit Thethys pavidas ad pectora Nymphas,
Ipſaque monſtra alti contremuere maris.
Et jam ſanguineis emanat fontibus aequor,
Turcarumque ſuper corpora trunca natant;
Cum laceras cernens puppes, fractaſque cohortes,
Dux Geticus meritae dat ſua colla neci:
Haec vos pompa manet; quam vulgus pone ſequetur,
Et magna euge io voce triumphe canet.
Parte alia egregii vates pia carmina condent,
Paſtorem tollent & ſuper aſtra Pium,
Paſtor io, bene Paſtor io: tu cauſſa fugati
Hoſtis, & hoſtilis tu quoque cauſſa necis.
Chriſticolas tu pace ligas; tu foedera jungis,
Vertis & in ſaevos bella tremenda Getas.
Nec deerunt qui perpetuis mandare libellis
Incipiant Venetum nomina clara Patrem.
Tu bello inſignis, tu florens pace ſenatus;
Tu verum Auſoniae, Chriſticolumque decus.
Interea dum fata vocant, fortunaque vobis
Adſpirat; celeri bella novate manu.
Quaeque mala immitis noſtris ingeſſerat oris
Hoſtis, in illius ſint graviora caput.

CAELII CALCAGNINI
FERRARIENSIS
CARMINA.
AD HERCULEM II. FERRARIAE DUCEM IV.

CONSUESTI dare magna, teque digna:
Atque isthaec bonitas benignitasque
Te caelo evehit aureis quadrigis.
Nos damus tibi (forsan impudenter)
Et parva, & tenui cliente digna.
At tu, gloria saeculi recentis
Princeps optime, gloriose princeps,
Haec parva accipias lubente vultu;
Et mentem hanc animumque metiare
Tuo in saecula Numini dicatum.
Nam sic te facile probabis esse
Dando, & accipiendo liberalem.

IN LINUM.

NON est quod doleas, amice, non est,
Quod possis, Line, postulare mecum:
Nam laudes cupio tuas ad astra
Usque provehere; inque summo Olympo,
Inque ipsis genibus Jovis locare:
Sed tu materiam dato, indicaque
Quo laudes lateant tuae recessu.
Nam per me nequeo invenire. sed tu

Quod

Quod eſt turpius arrogantiuſque
Admiſces precibus minas, miniſque
Vim jurascomitem palam additurum:
Sed fruſtra, Line; quando nemo laudes
Extorquere poteſt; poteſt mereri.

IN TITI STROZAE OBITUM.

AONIDES maeſtae lauros & barbita Phoebus,
Maeſta Venus myrtos, triſtis Amor pharetram,
Mercurius virgam, Pallas congeſſit olivam;
Atque Tito ex illis compoſuere rogum.
Tum Charites ſtravere roſas, quas Suada Leporque
Molliri fletu non ſinit irriguo.

AD HERCULEM DUCEM.

TU mihi tu fateor tam magna & rara dediſti,
Quanta poteſt animus vix capere, aut capere.
Nam me tot cumulis tua gratia largiter auxit,
Herculis ut facile noſcere dona queas.
Nam quae magnanimus dat Princeps munera, tantum
Excellunt, quanto grandior ipſe aliis.
Quod ſi non auſim meritas tibi dicere grates,
Agnoſcas molem muneris inde tui.
Nemo jure poteſt Princeps ingratus haberi,
Qui tacet immenſis attonitus meritis.

LUDOVICI AREOSTI EPITAPHIUM.

TU repetis caelum, & terras, Areoſte, relinquis,
Et loca jam meritis inferiora tuis.
Nos miſeri, & curis longe mortalibus acti,

Non

Non tibi, sed nobis fundimus has lacrimas,
Gloria te niveis subducit in aethera bigis;
Nos sine te luctu perpetuo opprimimur.

AMOR VICTO HERCULE CONQUIESCENS.

HIC amor Herculea sopitus pelle quiescit;
Pulvinum capiti subdita clava facit.
Has nunc exuvias praefert, magno Hercule victo:
Pro clava gestat sed Deus ille colum.
At puerum Veneris somno & sudore madentem,
Praxiteles Parium transtulit in lapidem.
Tu vero, hospes, abi, aut leni fac verba susurro,
Ne somnum excussum forte queratur Amor.
Ille quidem abjecitque facem, abjecitque pharetram:
Pro face, pro pharetra clava timenda tibi est.

DE ANTONIO CONSTABILI.

AD tumulum stat Fama, tubaque hinc personat, atq;
Antoni, in laudes innumera ora movet.
Constabile inde genus (virtutem hic audit Eous)
Hinc large impensas Hesperus audit opes.
Hinc sancti benefacta animi procul excipit Auster;
Hinc longe Boreas fortiter acta notat.
Antonii late reboant praeconia: at ipse,
Ipse ingens orbis non tamen illa capit.
Fama tubam in laudes, in laudes ora fatigat:
Tot tamen in laudes se negat esse parem.

M. AN-

M. ANTONII CASANOVAE CARMINA.

DE ALEXANDRO MAGNO.

TESTATUR se uno rerum natura minorem,
Nam, quod plus posset vincere, non habuit.
Parvus Alexandro fuit orbis: sed fuit orbi
Magnus Alexander, ipse sibi exiguus.
Questus; quod citius, quam miles, terra deesset,
Quodque suum Oceanus clauderet imperium.
Omnia vicisset: sed non tamen omnia vicit
Ille, ubi se solum vincere non potuit.

ANNIBAL.

PRIMUS in Ausonios objectas isse per alpes
Dicor, & aetherias non timuisse minas.
Ante ego quam Italiam, Romanaque signa viderem,
Cum duris scopulis, & Jove bella gero.
Cui non obstiterint alpes, non Juppiter hostis
Vicerit, Ausonii perdomuere duces.

DE PORTIA.

PORTIA magnanimi poteram post fata Catonis
Vivere, debueram non superesse patri.
Sed me fata tuo servabant, Brute, dolori:

An

An dux ad mortem non ſatis unus erat?
Dumque ſibi ferrum queritur moritura negari:
Hanc, ait, explorant numina & igne domum.

DE ANNIBALE DUM A SCIPIONE SUPERARETUR.

HERCULEI ſocius decoris, quo rupit in ima
Altius Auſoniae viſcera nulla manus,
Per caelum Libycis reſerat qui gentibus orbem,
Exſuperans uni vix juga viſa deo,
Dum caderet pubes Italis ſpectata ruinis,
Talem indignanti protulit ore ſonum.
Quis neget armatum me majeſtate perenni?
Eripere arma poteſt haec mihi nulla dies,
Annibali ſat nomen erit, quo terreat hoſtes:
Et dum me noris vivere, Roma time.

HORATIUS COCLES.

SOLUS ad auguſti Cocles diſcrimina pontis,
Cum daret ingentem grata ruina ſonum,
Non gravis unus, ait, patriae jactura, reliqui
Non reditum ipſe mihi, nec tibi Etruſce viam.
Et ſe dum jaceret rapidas animoſus in undas,
Per medias victor navit onuſtus aquas.
Non undae, hoſteſve obſtiterunt, quin arma referret,
Arma quibus ſervat ſe patriae, & patriam.
Quid contemtorem ferri miraris, & undae?
Majores animas hac tibi, Roma, dabo.

Q. CINCINNATUS.

QUINCTIUS adſpiceret ſi tam diffuſa ſepulcra,
Diceret, ipſe minor noſter agellus erat.
Uxorem tamen ille, & dulcia pignora alebat:
At moles unum vix tegit iſta hominem.
Reſpondere meo certabunt rura labori:
Iſta tamen ſecum mortua terra jacet.
Quantum, dum vixit, patriae nocuiſſe putatis
Iſtum, quando etiam poſt ſua fata nocet?

LUCULLUS.

UT ſe barbaricis revocari ſenſit ab armis
Lucullus, tales ſolvit ab ore ſonos.
Nil ſupereſt, quod agas: quid enim tibi Magne reli-
ctum eſt?
Crede tibi hoc Pontum dicere, & Armeniam.
Quos titulos mihi, Roma, tuus dare debuit hoſtis,
Ipſa negas: quod non vis dare, fama dabit.

DE M. BRUTO ET C. CAESARE.

CAESARIS, & Bruti ſacratum ſanguine ferrum
Officium patriae praeſtitit, & domino.
Una pium caedes oſtendit, & altera fortem:
Non alio Caeſar debuit enſe mori.



HIE-

HIERON. SALINAE

C AE C I.

C A R M I N A.

AD POETAS.

CHAONIAM canitis natam Jovis arbore glandem,
Legiferae segetes munera grata Deae:
Vos ulmos, & apes complentes nectare cellas,
Et tardos canitis laeta per arua boves:
Vos & equum canitis, qui frena sonantia mandit,
Atque arva, & multo gramine pingue pecus.
Sed mihi quid prodest audire haec? si mihi desunt
Glans, seges, ulmus, apes, bos, equus, arva, pecus.

IN JOANNAM ARAGONIAM.

ASPICIS heu, properat quae nunc elata quadrigis,
Cujus forma Deae: num Cynosura venit?
Non, quia curvati squamosis flexibus anguis
Membra ligarentur. num Jove nata Venus?
Duceret ante jugum niveas Cytherea columbas.
An Charis est? duplici juncta sorore foret.
Num Juno? traherent pavones essеda picti.
An luna? accensas ferret opaca faces.
Est ne Aurora? rosis ornasset tempora pictis,
An Diana? ab sunt tela, pharetra, fides.
Num Pallas? regeret juvenilibus aegida palmis.
En Musa? incuteret plectra, lyramque manu.

Quam tandem ipse vocem? regum de stirpe Joannam,
Divarum partes quae regit una novem.
Qua ratione dedit nitidum Cynosura nitorem,
Et venus ora, Charis lumina, Juno pedes,
Luna genas, Aurora manus, humerosque Diana,
Virtutis Pallas munera, Musa sonum.

MICHAELIS SILVII

AD TITIANUM PICTOREM.

A Te uno pingi voluit Titiane Diegus,
Pictores unum quem probat ante alios.
Qui sibi tam similem facis hunc, ut dimidiatum
Se credat: magnum hoc: efficis arte tamen.
At contra suaves mores, & pectus, & illud
Tam cultum ingenuis artibus ingenium
Formari a se uno voluit Titiane Diegus:
Quanto est hoc quam illud rectius & melius?
Qui pingenda tibi quae sunt moritura reliquit,
Formanda assumit non moritura sibi.

ANNIBALIS

CRUCEII

IN OBITUM GABRIELIS FAERNI.

DUM veterũ autorũ instaurat monimenta Faërnus,
Et reddit vitae scripta Latina suae.
Invidit fera Parca, virumque ad Tartara trusit:
Quodque aliis adimis hoc tibi, dixit, habe.

IN OBITU JO. JACOBI MEDICES MARCHIONIS MEREGNANI.

INTREPIDUM quid cor, vigilantia ſumma, laborque
Indomitus poſſint, bella mihi acta docent.
Larius, ut, magno & teſtis cum Saxone Turca eſt,
Senaque, & Hetruſcis Strozza fugatus agris.
Reſtabat patriae tantum ſuccurrere: ſed mors
Pulvere ſpes tantas obruit exiguo.

JULII ASCANII TUCCII

CREMENSIS

DUELLUM SCACCHORUM.

TE cum militibus geſtio buxeis,
Jam conferre manum Praetor amabilis,
Quanquam Regibus Indicis
Contendas melius, ſeu
Tu ducas pedites, ſive equites trahas:
Sint omnes nivei, ſintque licet nigri,
Proſternam tabulis tamen
Inſtructas acies, vel
Confundam cuneos agminaque omnia.
Quis tandem validis turribus obviam
Accedet ſine ſanguine,
Quin ſaltem capiatur?
Rex laetus veniet praelia in ardua
Et tuto intrepidam tramite conjugem
Ducet non metuens minas,
Ipſos forte nec ictus.

Sic

Sic freti domini milite non pigro
Armorum ſubeunt magna pericula:
Imbelleſque cadunt viri,
Et dant fortibus arma.
Si Regina ſuis ſepta cohortibus
In denſas acies ipſa ſuperbiens
Hoſtes per medios viam
Prorumpens faciet, tum
Quid dices? minimum ſignifer albicans
Converſis pedibus ſubſidium feret:
Cernes nanque meos duces
Punctim tela movere:
Non tantam in Phrygios Aecides ferus
Patravit rutilans arma micantia
Cladem, quando neci dedit
Diſtricto Hectora ferro,
Quantam per niveas gens mea copias
Ingenti ſtrepitu conficiet, nigra
Dum matrona potens ſuo
Irrumpet peditatu.
Ergo, quando mihi congredier voles,
Jam cautus pedites, expedies tuos,
Impelle celeres Equos,
Turritas quoque moles.
Bis fuſci pedites quattuor impetu
Binis ſigniferis, atque Elephantibus
Binis, indomitis Equis
Nec non cum duce fuſco,
Invadent alacres caſtra tua, & viros,
Telluremque tegent militibus tuis:
Et Regia decus feret
Nobis ſaepe triumphans.
Tum, Cernite, tuus Rex ſtupidus fuga

Conversa veniam forte meo Duci
Deflexis genibus petet,
Se victum quoque dicet;
Quid rides ne? putas haec fore somnia?
Plus centum proceres, credere mihi graves
Nobis exuvias suas
Victi deseruere.
Hispanus veniat miles & Aethiops,
Ipsi terribiles vel cuneos ferent
Immitis Darii, abs Jove
Artem qui didicerunt.
Vis promtum manibus forte Vicarium?
Aut tecum validum ducere judicem?
Quid tu? nostra manus premet
Certe albentia castra.
Nam fossi pedites vulneribus fugam
Quaerent, si poterunt: Jussus eques meus
Hos mucrones petet, vel hos
Hasta denique cedet.
Haud credas, oculis ni videas tuis
Cunctis quam valeat gens mea praeliis,
Dum palmam referunt domum,
Nec non multa trophaea.
Nam campi in medio saepe capit ducem
Album noster Eques, ponit & exitum
Magnis litibus hostium
Tedens ad nova bella.
Thraso ne videar, qui sibi gloriam
Ascribit nimiam, jam veniant cito
Ad certamen atrox tui:
Nam res verba sequetur.

ACHIL-

ACHILLIS BOCCHII

BONONIENSIS

CARMINA.

TUMULUS CLEOMBROTI.

AMBRACIOTA mari ſitus ille Cleombrotus alto
eſt,
Alto qui potuit temnere mortem animo.
Namque ubi melliflui legit divina Platonis
Scripta, etſi adverſi tum nihil acciderat,
Praecipitem e muro dedit huc ſe, ut fluctibus iſtis
Curarum fluctus obrueret varios.
Felix o pelagus titulo hoc: felicia & oſſa,
Quo tumulo poterant nobiliore tegi?

FRANCISCO I. GALLIARUM REGI.

DUM tua Fortunae cedit, Rex inclite, Virtus;
Victricem ſubigit cedere victa ſibi.
Quid duce te faciet victrix, ſi victa triumphat?
Non hominis virtus, ſed magis iſta Dei eſt.
Ergo divinus cum ſis, o maxime Regum,
Quis jam mortalis fingere te potuit?
Ipſa tamen talem potuit te fingere Virtus,
Qualem animus poſſit cernere, non oculi.

PHILIPPO.

IDEM ſis licet omnibus ſuperbus,
Et magna tamen eſſe comitate
Interdum cupias mihi videri.

Si cur defugiam tuum frequentem
Congressum rogitas, Philippe, dicam.
Suspecta est mihi comitas superbi.

PRO MAXIMO FARNESIO.

MONSTRORUM Alcides domitor, Jovis inclita proles.
Circinum agens, Orbem perficit eximium,
Magnus Atlas librum retinens circumspicit astra
Quae quondam Alcidae fulserat auxilio.
Divini heroes ambo, caelestibus ambo
Imperitant astris. hic videt, alter agit.
Quaeris uter potior? potuit qui vincere monstra;
Et se qui potuit vincere, monstra potest.
Verus hic Alcides solida est qui mente, animoque
Impavido, justus, propositique tenax.

DE POEMATIS JANI PANNONII.

PANNONIUS dulci Janus dum carmine nuper
Saxa, feras, volucres, & nemora alta trahit:
Miratus Titan ait; aut non occidit unquam,
Orpheus, aut alium Calliopea tulit.

ANTONII MARII

AD HIERONYMUM FRACASTORIUM.

FRASTORI venerande, anima mihi carior ipsa,
Ut valeas, quid nam juncto pede, quidve soluto
Scribas, scire velim, dum te Marpesia celso
Colle tenet, placidi sectantem commoda ruris.
An

An medicas herbas Phoebo monſtrante per agros
Colligis, ut caros cives a funere ſerves?
An Dryadum miſtus choreis, Faunisque jocoſis
Agreſti ludis calamo: quae Tityrus olim
Cantet, & umbroſo miretur Nais ab antro?
An potius volucri raptus ſuper aethera mente,
Colloquio frueris Turri, ſecumque vagaris,
Ignotaſque vias ſtellarum, orbeſque tueris
Ignotos, veterumque palam commenta refutas?
Felix, quem populi de tempeſtatibus atris
Ereptum, claro ſiſtit Sapientia caelo.
At nos indoctae ſequimur veſtigia turbae,
Parvaque miramur, quia nunquam cernere magna
Contigit hinc vana deludit imagine mentem
Aut ſpes, aut metus: invadit nunc falſa voluptas,
Nunc falſus dolor. in primis me torva feroci
Pauperies vultu terret, ceu triſtis Erinnys
Cum pavidum flammis ultricibus urget Oreſtem.
Saepe loquor mecum, tacituſque haec corde voluto.
Incipe ſorte tua contentus vivere, teque
Liber, & impavidus fortunae oppone ſuperbae.
Nemo pauperie miſer eſt, aurove beatus.
Oppreſſum morbo Chromilum de paupere lecto
Transfer in auratos thalamos, & ſtragula picta,
Non tamen aegroto decedet corpore febris.
Impatiens, aeſtuque amens vigilabit. at idem,
Cum validus ſilvis apros venatur, in alta
Hibernas noctes nive dormit ſuaviter. aegrum
Sic animum nec divitiae ſanare valebunt,
Nec mentem ſanam vel magna offendere egeſtas.
Quare age, ſi carus Superis, ſi carus amicis
Eſſe velis, animum ſemper cole: cetera mitte.
Cuncta poteſt ſpreviſſe aliquis, nemo omnia habere.

Ille opibus vincet Croesos, illi fluet Hermus,
Cui licuit contemnere opes: sunt denique certae
Divitiae, Virtus, Sapientia: quas neque bellum,
Nec mors suprema potis est rapuisse favilla.
Haec mecum. Sed cuncta fluunt animo simulatque
Tabentes artus, & commoda multa volentem,
Adspicio miseram juvenili in flore senectam.
Crudeles Parcae, dulcis nec dona juventae
Carpere, nec lentos finitis finire dolores.
Non mea vos pietas, tremuli non vota parentis,
Non lacrimae vestras potuerunt flectere mentes,
At tu, quem Phoebus lethales pellere morbos
Edocuit, citharaque amnes cantuque morari,
Huc ades o Frastori, aversaque numina flecte
Carminibus, tabemque meo de corpore pelle.

AD ALOISIUM AVILAM.

AMICE magni Caesaris *Avila*,
Comes fidelis militiae, & togae,
Germanico insignis trophaeo,
Gloria prima equitum, decusque.
De bello anhelum seu reparas latus,
Ut alma terris incubuit quies,
Seu cuncta Caesar bellicosus
Fulminibus quatiat tremendis,
Summos honores percipis undique.
Saevos in hostes intrepide arripit
Se prima virtus, cum recessit
Victa procul rabies furoris.
Superba divi praelia Caroli
Mox expeditis historiis refers,
Ducumque fortium labores
Mu-

Muneribus decoras supremis.
Ut incruento Marte rebellium
Iras minaces contudit hostium:
Ut vicit excelso Suevas
Pectore, Vindelicasque gentes,
Describis aequus. te neque laus tua
Amorve gentis flectit Ibericae,
Sed impetu quanto, fidesque
Bella geris fera, gesta dicis.
Dicis vadosas Albis aquas, manum
Dicis fugacem Saxonis impii,
Dicis potentiam tyranni
Caesarea domitam catena.
Scriptor probatus, miles ut inclitus,
Esto superstes, tristia nec meo
Te fata plectro, neu superbis
Caesaris invideant triumphis.

INCERTI AUCTORIS
DE SENECTUTE.

JAM multis pallet facies mea languida rugis,
Et riget incomtis hispida barba comis.
Caligant oculi, manat pituita molesta
Naribus, aegro vox gutture rauca tremit.
Egelidus jam sanguis hebet minuente senecta,
Vitalis corpus deseruitque vigor.
Nil tamen haec obsunt purae contraria menti,
Quam sancto omnipotens excitat igne Deus.
Nam quamquam frigent vires, moribundaque membra;
Et tollit sensus curva senecta meos:
Vidua flamma tamen divini me ardet amoris,

Ardet,

Ardet, & absumtis pectora visceribus.
Ut cum supremo me lumine vita relinquet,
Terrenosque artus spiritus, & cineres:
Purgatus maculis, & saecli sordibus hujus,
Depositisque atri carceris exuviis,
Elysias adeat sedes, & regna beata
Laetus ubi aeterno serviat usque patri.

HIERONYMI ALEANDRI
AD JULIUM, ET NEAERAM.

HAEC specula, hoc ebur, haec auratis retia nodis,
Castae tibi Juli, casta Neaera tibi,
Ille patris vestri quondam fidissimus hospes
Mitto Paraetoniis munus ab usque plagis.
His primum strophiis, quando ruet Oceano nox,
Conde puer roseas, conde puella comas.
Verum his pectinibus, cum sol caput exerit undis,
Pecte puer roseas, pecte puella comas.
At duplex speculorum usus, nam siquid in illis
Apparet vestri corporis egregium,
Reddere dignam animam forma hac contendite contra:
Turpe quid in facie est? corrigat hoc anima.
Non opus heu monitis foret his si viveret ille,
Quicum spes vestra est, spesque sepulta mea.
Fata mihi geminos rapuerunt saeva parentes:
Addita mors vestri est, tertia tela, patris,
Qui quoniam periit, vos nunc mihi sitis uterque,
Illi quod donec viveret ipse fui.
Nunc ego retribuam natis, quod jure parenti
Debueram: vellem redere posse tribus.
At precor hoc saltem mihi dent pia numina, gratum
Officium vestri manibus esse patris.

BER-

BERNARDI NAUGERII.
VENETI.

HAS Neptune tibi conchas dat Battus, honores
Aequoris, Haec Lycidas ostrea Glauce tibi.
Vos facite irati deponant murmura fluctus,
Dum medio jactant humida lina mari.
Hoc dulces natique rogant, parvique nepotes,
Ludere quae vestro littore turba solet.
Nunc voces parvus tantum, mox munera grati
Ipsi etiam vobis, numina magna, dabunt.

INCERTI AUCTORIS
CARMINA.

DE VICTORIA NAVALI AD LEPANTUM
PARTA CONTRA TURCAS.

AUSA dei classem, sociasque lacessere puppes
Impia gens, Euris sinuosa in vela vocatis,
Horruit adversas acies; fractasque superbae
Vidit opes Asiae, raptis spoliata trophaeis.
Illa per Jonios centeno remige fluctus
Ibat ovans, tristesque minas & bella ferebat:
Impuleratque duces Cretaea a strage recentes
Rursus in arma vehi, & duro discrimine rursus
Hostiles petere exuvias, & Martia signa:
Obvia cum triplici se se tulit ordine classis
Auspicio jam freta Dei caeloque secundo;

Ever-

Evertitque trucem validis incursibus hostem.
Tum superum delapsa cohors plaudentibus alis
Irruere, & vacuas visa est rutilare per auras:
Et nunc barbaricas pelago submergere puppes:
Nunc invisam aciem rapidis incendere flammis,
Aut pugnare manu, mediisque insidere transtris
Aeneadum, & Venetae defendere robora pubis.
Pars autem clypeis venientes excipit ictus,
Aut stipata levi circumvolat agmina gyro:
Non secus ac rigui si quando ad stagna Caystri,
Candentes liquido glomerantur in aethere cygni,
Imbellesque agitant volucres, & inertia caedunt
Agmina: sanguineas Zephyrus rotat aere plumas.
Cinge triumphali victricia tempora lauro
Dux Venetum, cui clara suae cognomina gentis
Dat Venus, & spolia ampla tuo cape debita Marti,
Servatae columen patriae. Tu maximus ille es,
Aequoreae qui primus inis certamina pugnae,
Cladem Asiae intentans. Divi comitantur euntem,
Et curae vigiles, & ovanti gloria plausu:
Ultricesque rates, & ahenea mittis in hostem
Fulmina, suscepto igne cavis impulsa metallis.
Quo sonitu tremuere undae; perculsaque longe
Ambracia, & pavidae latuere sub aequore nymphae,
Et refluo trepidans Achelous inhorruit amne.
Nec te ullae belli facies, amissaque terrent
Regna, nec avectae diverso ab littore praedae:
Nec te animi vigor, & saevis grave robur in armis
Deserit, & fracto exuvias ex hoste reportas,
Eque tua prior emicuit Victoria puppi.
Tum juvenem Imperio insignem, quem Caesare magno
Progenitum virtus per grandia facta parentis
Eve-

Evehit, & caelum promissaque sidera monstrat,
Attonitae videre acies in praelia versum
Quo pietas, quo laudis amor, quo gloria traxit,
Et belli molem regere, & virtute tueri:
Qualis Atlas humero stellantem sustinet axem.
His quoque ab auspiciis tantae pars maxima pugnae,
Curarumque comes sacris Antonius armis
Turbabat cuneos, inimicaque signa premebat,
Vi superans, quantus crebris maria alta procellis
Secum hiemes, Eurosque trahens, & nubila proflans
Verberat Orion, fluctusque illidit arenis.
Quem duo sectati valida in certamina fratres,
Juncti animis ambo, cognato sanguine juncti,
Romulidae proceres, per barbara tela, per ignes
Irrumpunt, Martemque acuunt, spoliisque superbis
Saepe suam decorant ingenti mole columnam.
Ceu quondam Oebalias soliti ductare cohortes,
Tyndaridae adverso spoliabant milite castra,
Insignes paribus clypeis, quibus aureus ensis,
Et jam tum gemino radiabat sidere cassis;
Aurea, puniceae volitabant vertice cristae.
Nunc pharetras, Lyciosque arcus, perfractaque tela
Fluctus agit, laceraeque natant in gurgite pinus.
Et jam turma virum, discerptaque corpora passim
Littoreae sectantur aves, projectaque pascunt
Viscera, & effuso late rubet unda cruore.
Atque aliquis, Naupacte, tuas dum tendit ad oras
Et pugnata refert sanctis nova bella sub armis,
Dumque peregrina legit Actia littora pinu,
Ecce, ait, hinc pugnas iterum prospexit Apollo,
Bisque triumphatis Aegyptia signa carinis:
Sic ait, & celeri percurrit Echinadas aura.
Defer ad externas victricia nomina gentes,
Fama,

Fama, novas memorans pugnas, partosq; triumphos:
Quae vetera Heroum obscuris monimenta sepulcris
Subtrahis, aeternisque duces interseris astris:
Dic actos in bella viros, socia arma ferentes
Hispanos, Venetosque, intermistosque Quirites
Nunc primum Jonio in magno junxisse carinas.
At contra Euboicas summa in certamina classes,
Mentitosque Deos, viresque orientis agentem
Regē Asiae domitum, tremefactaque saxa Capharei,
Scilicet haec dudum precibus, votisque petisti
Sancte Heros, qui sceptra Dei, sedemque tueris,
Dum tu neglecta pro relligione laboras,
Et Vaticanas toties prostratus ad aras
Sacra facis sanctasque vocas in foedera gentes:
Jordanumque jubes, Solymasque reposcere sedes,
Atque implacatae superare Propontidis oras.
Salve operum tantorum auctor, qui numina nobis
Concilias, & diva tuis paris otia terris.
At tibi dux Venetum, nunc alter ab Hercule magno,
Qui gravidam colubris Hydrā, qui Thracia monstra
Esxuperas, iterumque Acheloja cornua frangis:
Quando etiā majora manent, superanda Propontis,
Rhetaeique sinus, proavitaque regna petenda:
Jamque tuis Rhodos, & Salamis, Naxosque receptae
Accedent titulis, & jam concussa tumultu
Migdonia, & tristes expavit Achaja pugnas.
Te celsi juga Taygeti te frigida Tempe,
Aoniumque vocat nemus, & Permessides undae,
Et tua Pieriae responsant nomina silvae.
Tempus erit, cum rapta sacris solatia Musis
Restitues, fontesque suos, suasque antra recludes,
Nunc dira illuvie, & silvestribus obsita dumis,
Et sua jam profugi recinent ad flumina cygni.
Hinc

Hinc & ad aequoream victor provectus Joppen,
Antiquas Solymorum arces & sceptra reposces,
Ausoniae imperio, ac Romanis debita regnis
Et tibi carmeli rupes, tibi plaudit Idume:
Et tibi crescentes surgent ad sidera palmae.
O sacrae Libani valles, o palmifer Hermon,
En erit ut vestros liceat penetrare recessus,
En erit ut Syrias lustrans pius hospes arenas,
Caelicolum signata legam vestigia plantis?
Bethlemiaeque domus supplex sacraria visam?
Et propiora Dei cunabula pronus adorem?
Felices properate citis decursibus anni,
Concordesque iterum fatalibus aurea pensis
Saecla neant Parcae, meque haec ad vota reservent.
Aspice, dum properant alios tibi fata triumphos,
Ut maria, ut tellus nobis, ut largior aether
Rideat & nitido ostentet nova sidera caelo,
Illustres animas, quae prodiga pectora vitae
Ausae omnes, dum fata dabant, hostilibus armis
Obiicere, & letum pro relligione pacisci:
Has sedes peperere sibi, qua lactea fulget
Orbita, & aeterni candent fastigia mundi,
Et modo pacatis diffundunt gaudia terris.

AD PAULLUM.

AEQUAS quotannis cum prece plurima
O Paulle, summo, quidquid erit, Deo,
Seu tradidit, quod postulasti,
Sive quid exiguis ademit,
Grates memento reddere: cum tibi
Almos odores Ver parit aureum,
Cum spiceos de falce curva

Flava

Flava Ceres geminat maniplos.
Malo e tenella cum legis, aut pyro
Fructus rubentes: palmite de gravi
Vannos Lyaeus cum capaces
Turgidulis onerat racemis.
Grates memento reddere, grandius
Petulca mulctrum cum replet ubere
Capella distento, atque liquit
Rupe sub aeria gemellos.
Et cum beatae vitis Jacchicum
Vel grando honorem, vel gravis Africus,
Sidusve foedavit leonis,
Cum segetem sterilis momordit
Rubigo, rarum bruma vel acrior
Ovile fecit: reddere tunc quoque
Laeta memento fronte grates.
Praeteritus melior recessit
Autumnus, alter deinde benignior
Forsan sequetur, plenaque Copia
Cornu refundet, tres in annos
Quod tibi sat fuerit, superque

AD DIANAM.

TU decus astrorum, & silvarum Cynthia cultrix,
Docta feras pedibus, missilibusque sequi,
Tu Dea, tu nostris praesens venatibus esto,
Et niveis faveas irrequieta rotis.
Ipsa comes nostri, duxque esto Diva laboris,
Ipsa mone audaces per nemora alta canes.
Ipsa vagam in saltu cupidis praedam obiice: & ipsa
Qua captura fugam sit cita, tende plagam.
Sic puerum teneas, per Latmia saxa petitum,
Nove

Neve tuo trux se subtrahat ille sinu.
Nec gelidi riguis desint in vallibus amnes,
Nec spissae nemorum per juga summa comae.
Tu quoque Faune, precor; juvenilibus annue votis:
Qui colis umbrosi devia lustra soli.
Sic tibi sint faciles tenerae, tua cura, Napaeae,
Et capiti accedant cornua bina tuo.

TUMULUS GREGORII INFANTIS.

BLANDIDULUS, nitidus, pulcer, dulcissimus infans,
Matris delitiae, deliciaeque patris
Hic situs est teneris raptus Gregorius annis,
Ut rosa quae subitis imbribus icta cadit.

HIERONYMI
BALBI
GURCENSIS
CARMINA.

IN PAULLUM ASTROLOGUM.

NOSCIT Ephemeridas, Circeaque carmina Paullus.
Stelligerae noscit sidera clara domus.
Tympana quid Cybeles; numen quid portet Anubis;
Linigeraeque tenet candida sacra Bovis,
Pullorum quid fibra velit, quae monstret Osiris
Somnia; quid volucrum turba canora ferat.

Sidera cum teneat; secretaque noscat Olympi!
  Ante pedes quod habet, non tamen iste videt.

AD FRANCISCUM CICONIAM.

CANDIDA sublimi crepitare Ciconia nido
  Sueta, mihi quales nunc dedit ore sonos!
Illa sitim siccis haerentem faucibus ire
  Jussit; & e nostro depulit ore famem.
Judice me nusquam cantator funeris atri
  Dulcius effeudit gutture carmen Olor:
Orphea jam Thraces; sileantque Amphiona Thebae;
  Nobile si carmen garrula dictat avis.

EPITAPHIUM ARDOLAPHI PINI.

QUOD sua cuique dies maneat; quod fama superfit;
  Ardolaphi monstrat fama decusque ducis.
Quem non mille manus poterant, nec mille phalanges;
  Abstulit hunc cunctis mors adeunda viris.
Casside Mars posita, posita luge aegide Pallas.
  Quis credat? Pinum tam brevis urna tegit.

AD LUCAM SEXTUM.

SEXTE Camaenarum celeberrime Castaliarum,
  Candida qui clarae nomina lucis habes;
Aurea forma tibi, tibi contigit inclita virtus,
  Et facilis roseo qui micat ore nitor.
Est pudor, est tenero gravitas maturior aevo.
  Ingenium pueri nil puerile sapit.
Cresce igitur: crescet virtus crescentibus annis
  Non moritura: vorat caetera tempus edax.

AD

AD PAULLUM.

CARMINA nostra probas? solvam te legibus aequis.
  Nil nisi verba refers : nil nisi verba dabo.
Me donis donas: contra quae munera mittam?
  Heu, fortuna meas nubila pressit opes.
Carmina quid reddam, Musarum & Apollinis expers?
  Non bene pro magno munere verba damus.
Ergo animum dono gemmas qui vincit & aurum:
  Semina sic duplici fenore reddet ager.
Nam sors regna potest, fulvique auferre metalli
  Pondera: sors animum, Paulle, movere nequit.

AD LUCAM RIPAM.

DESINE divitias natis cumulare superbas:
  Divitiae parvo tempore namque fluunt.
Non ita praecipites alterno vortice cymbas
  Versat arenoso Scylla proterva mari:
Nec sic incertis agitantur fluctibus undae,
  Ut sors instabiles impia versat opes.
Munera nulla valent natis majora parentes
  Linquere, quam laudis nomina clara suae.

AD PYTHAGORAM.

PYTHAGORA, alterno reparas qui semina lapsu,
  Corporibusque novis das reduces animas.
Dic quid erit Marcus, Stygiis cum dirus in undis
  Corpora Sysiphio pondere saeva premet?
Quis Marcus? Marcus rabido livore refertus,
  Qui Fabii damnat qui Ciceronis opus;

Omnia qui rodit, genuinum frangit in omnes,
  Et cui Gorgoneo viſcera felle madent.
Non erit ille caper; non vaſti bellua ponti;
  Non leo; nec taurus quidnam erit ergo? canis.

GULIELMI MODICII

MONTEFERRATENSIS

CARMINA.

IN P. CLODIUM; ET TYRANNOS ALIQUOT

PELLE domo, patria, Ciceronẽ trans mare Clodi:
  Hunc Milo qui revocet lege Tribunus erit.
Urbe furens media Ciceronem concute Clodi;
  Ultor in Albano te Milo rure manet.
Te Cato, te Cicero patriae celebramus amantes:
  Omnia poſteritas vos amat atque probat.
Sunt odio gener; atque ſocer fera bella gerentes.
  Neuter amat patriam; ſed ſibi quaerit opes.
Ultores patriae, duraeque tyrannidis hoſtes
  Caſſius, & Brutus ſunt in amore mihi.
Antoni, Lepide, Octavi; moeſtiſſima Roma
  Vos non tres homines, ſed tria monſtra tulit,



PAU-

PAULO III. PONT. MAX. ET CAROLO V. IMP. IN REBELLES.

ACCOLA gens Rheni, furiis agitantibus ausa
  Spernere jura hominum, spernere jura Deum;
Jam satis illusit. summi nam Praesulis arma
  Hinc properant; illinc Caesaris arma ruunt.
Gens scelerata cadet; cum junctis fortibus armis
  Vindicet hic homines; vindicet ille Deos.

AD HORATIUM GUALTERUCIUM.

MERCIBUS Eois reditum si civis onusti
  Gratulor; & cordis gaudia fronte gero:
Cum redeas mercis pretiosae dives Horati;
  Cur tibi non multo gratuler ista magis?
Urbe redis Patavi, referens Mavortis in urbem
  Exculti raras cordis, & oris opes.
Interpres legum, jubeant quid jura, docebis:
  Sanctaque quid statuat curia; quidque forum.
Civis amans patriae communia commoda quaeres:
  Atque tua miseros saepe levabis ope.
Carus eris patribus: populus tibi laetus honores
  Deferet: & plausum plebs tibi laeta dabit.
Idcirco reditum tibi gratulor, artibus istis
  Indorum semper post habiturus opes.
Dii tua fortunent bona; dent & utrique parenti
  His tecum longo tempore posse frui.

IN TEMPLUM MONTIS REGALIS RENOVATUM.

HANC ſuperis celſam Gulielmus condidit aedem,
Qui tenuit Siculi ſceptra ſuperba ſoli.
Abſtulerat faciem rebus ſpatioſa vetuſtas.
Collapſum fuerat jam decus omne loci.
Reſtituit, regni titulum Farneſius; aras
Caelicolis; templo, quod fuit ante, decus.

TUMULUS COSMI ETRURIAE DUCIS.

HIC ſitus eſt Coſmus gentis dux magnus Etruſcae,
Qui decus Italiae, gloria, lumen, erat.
Scilicet hoc major toto rex nullus in orbe
Conſilio, meritis, aut pietate fuit.
Non obiit, cujus terras diffuſa per omnes,
Inter & Antipodas, fama perennis erit.

PARTHENII PARAVICINI NOVOCOMENSIS.

ALFONSO DAVALO VASTIO.

SISTE gradum ſacrique hoſpes decora alta ſepulchri
Et molem ingentem, ſpoliiſque inſigne trophaeum
Haud mortale opus, & manes venerare beatos,
Ipſe olim celebres Vaſti dum ſolveret umbris

In-

Inferias, meritoque Ducem decoraret honore
Armipotens, Lybico, Galloque ex hoste recepto)
Haec spolia, hanc magnis sacravit manibus aram.
Tunc etiam perculsa gravi Bellona dolore
Turbatasque effusa comas Tritonia virgo
Funebrem ad pompam exequiasque ingentis alumni
Conveniunt, & Martis opus dignumque laborem
Concelebrant, lustrantque rogum, donisq; parentant.
Tum lectos urna cineres jam rite peractis
Exequiis, pariter suprema voce salutant.
Invicti, o cineres, queis hactenus inclita virtus
Ausoniae enituit, longe victura superbas
Pyramidas fama, haec vobis monumenta dicamus;
Aeternamque aram, vobis decora omnia belli
Cedimus, & nostros jam nunc largimur honores.
Hinc igitur caeco bellorum urgente tumultu
Ductores responsa petant, huc hoste fugato
Sacra ferant, praedas, atque arma hostilia figant,
Vestraque votivis placent sibi numina donis.
Hic pulchrae virtutis honos, haec praemia sunto.
Haec Mavors, comitesque duae, pullatus Appollo
Excipit, & moesta Aonidum cingente corona
Flebilibus repetit numeris: mox numine dextro
Ferrea concordes volverunt stamina Parcae.

FABII VIGILIS.

ARMA ferox Princeps Venetas meditatur ad oras,
Et parat ingenti subdere classe fretum.
Quin etiam victor, domitoque Oriente superbus,
Ausonias iterum deprimit hostis opes.
Quis ferat? Austriaci generis lux inclita, tuque
Et spes, & patriae certa Columna tuae:

Vosque adeo quos mille urbes, quos oppida mille
Insignes bellis & pietate colunt:
Victrici capite arma manu, gentemque nefandam
Sternite, & adversos Marte juvante duces.
Omnia fausta cano: niveis Victoria pennis
Laeta super vestras labitur ecce rates.
Ite agite, incertumque alacres properate per aequor:
Saepe dabunt istas fata iterare vias.
Ite agite, & meritas tellus jam Barbara poenas
Sentiat, & nostros procidat ante pedes.
Et discat quid sit superum irritare furorem,
Saevaque supremo bella movere Deo.
Nec vos quae nimium fidit male cauta carinis
Terreat, adverso gens ruit illa mari.
Quin quae centenis pontum nunc verberat alis,
Decidet in vestras post modo capta manus.
Vincent Christigenae, sumet gens improba poenas,
Fracta per Aeolias Luna vehetur aquas.
Jam tandem scelerata cohors, caeloque rebellis
Supponet Christi colla superba jugo.
Jamque novas experta superni numinis iras
Sentiet aeternum non procul esse Deum.
O quot sternet aquis Mavors, quot funere acerbo
Invisos superis obruet una dies.
Quot pater Oceanus persusus sanguine tetro
Impia maerenti corpora volvet aqua.
Parce metu Ausonia: ornatos jam desine crines
Solvere, & immeritas dilacerare genas.
En tibi qui longo mansuras tempore sedes
Spondent, & populis Regna beata tuis.
Quin alios inter, magnae spes altera Romae
Mox repetet patrios victor ab hoste lares.
Disjectasque acies, secumque immitia tela,

Si-

Signaque de ducibus mille recepta feret.
Gratia magna Deo: praerupta Ceraunia tandem
Buthrotique arces ſub ſacra jura cadent.
Evenere: novos cernis quos Roma triumphos
Largitur reduci poſt nova bella duci.
Aſpicis, ut celebri invehitur comitante caterva
Excelſo Marcus conſpiciendus equo.
Quem circum agglomerant cari longo ordine cives.
Et praeeunt capti turba inimica duces.
Laetitiae dant ſigna tubae, lituique minaces,
Terribilique tonant fulmina ubique ſono.
Miles, io, magna praecluſus caſſide frontem
Per fora, perque vias voce triumphe canit.
Aſpicis aurato circum velatus amictu
Quam bene ſpumanti fraena relaxet equo.
Ut niveae aſſurgunt criſtae, dextraque tumentem
Invicta clypeum Gorgonis ore gerat?
Heus quo nunc, o Turca, minae ceſſere dolique?
Quo tandem evaſit ſpiritus ille tuus?
Qui tibi fingebas faſtu tumefactus inani
Imperia, en longe gloria fortis abeſt.
Scilicet incepti parta haec ſunt praemia belli,
Heu pudor, heu veteris gloria militiae.
At tua cura Deum, claris aſſuete triumphis
Italiae qui Sol, qui pater unus ades:
Increpuere tubae, mediae te conſere pugnae
Dum tibi victori Diva ſuperba favet.
En majora manent: caelo proh Juppiter alto
Fataque venturi nuntia quanta parant?
Jam video pictas Indo qui litore conchas
Colligit, & rubri demetit arva croci.
Quos vagus Euphrates, quos devius ambit Araxes,
Et quos admotis Phoebus adurit equis.

Et

Et quos Maeandrus toties ludente recursu
Turbidus intortis perfluit amnis aquis.
Et si qua extremas orbis gens accolit oras
Proiicere ad nostros arma superba pedes.
Magne Pater summo caelum qui numine torques,
Qui terrae tractus & maria alta regis,
Ante meos obitus illam Tithonia conjux
Purpureis lucem splendida portet equis,
Qua videam rursus devicto ex hoste Columnam
Sacrare ante aras parta trophaea tuas:
Qua rursus spoliis plenos hostilibus axes,
Et videam ferro brachia vincta ducum.
O quibus aggrediar numeris tunc facta referre
Marce tua, & grandi bella sonare tuba,
Tunc ego Castalios ausim perrumpere fontes,
Et diro Aonium cingere Marte nemus.
Annue Magne pater (si non indebita posco.)
Neu rapiant fusas irrita flabra preces.

PETRI GHERARDII

IN AUGUSTINUM BARBADICUM.

UT salvum novit clypeum, de pectore duxit
Thebanus jaculum dux, obiitque libens.
Ut bene rem pelago sensit succedere, traxit
Dux Venetum ex oculo missile, obire volens.
Laetus uterque perit pro libertate tuenda,
Laetus & hostiles fregit uterque minas.
O rari virtute duces, & carmine digni
Perpetuo! o felix patria, quae genuit!
O priscis potius saeclis oriunde beatis
Dux Venetum, ut sapiens Graecia te caneret!

IN

IN EUNDEM.

VICTORI lumen tibi Barbarus hostis ademit,
Ultima ne caperes gaudia Barbarice.

IN EUNDEM.

NON licuit spectare oculis quaesita trophoea
De Turcis pelago dux tibi clare feris.
Nam tibi quae eripuit jucundum lumen arundo,
Illa eadem vitam (proh dolor) eripuit.

IN EUNDEM.

LITORA pro tumulo ponas, victasque carinas
Desuper, ut forti sint pia busta duci.
Ismariumque nota Mavortem in fronte sepulchri
Et Selymum: hoc tumulo contege Barbaricum.
Vociferansque Leo super adsit, qui mea dicat
Gesta. brevi magnum quid tumulatis humo?

DE TRIUMVIRATU.

QUAE victrix fuerat potensque Roma,
Paulatim cecidit Triumviratu
Antoni, Lepidique Caesarisque:
Clades inde quot Actium sequutae?
Quot Mundi caput urbs tulit ruinas?
At victrix iterum potensque Roma
Se mox restituit Triumviratu.
Nam Pii, Venetum, Austriique vires
Hostem non procul Actio superbum

Fre-

HIERONYMI FALETI

AD GALEATIUM TASSONUM.

VERA tribunicii, Taſſoni, juris imago,
Floruit antiqui qualis in urbe Remi;
Commendant ſua Pierides tibi ſacra puella,
Sacra tuo quae ſunt digna favore coli.
Illa diu neglecta, tuas volvuntur ad aras,
Utque velis meritam ferre precantur opem.
Certa manet merces: doctis celebrabere chartis.
Doctus, & aeternum Fama loquetur anus.
Hactenus egregiis vixiſti clarus in armis,
Nunc placidae libeat munera obire togae.

AD GALEATIUM GONZAGAM.

EST qui praelongo deducat origine nomen,
Et referat veteris nobilitatis avos.
Eſt qui divitiis generoſaque ſtemmata jungat,
Et ſe felicem laude ab utraque ferat.
At cui ſi virtus; virtuti copulet uni
Et ſua cum ſummis ſtemmata divitiis;
Et numeros condat, vel docto pectore, & ore
Multiplici ſurgat magnus in eloquio;
Sit patriae gratum exemplar ſpeculumque, quod Ocni
Antiqui referat lumina imaginibus;
Nullus erit, niſi tu, Galeax celeberrime, cui tot
Virtutes & tot dona dedere Dei.

DE

DE LIBELLO JO. ROGII PRINCIPIS

DE POZA FILII.

PHIDIA magnanimi conjecit ab ungue Leonis,
  Quanta ferent vaſtae cetera membra ferae:
Fixaque dux vidit Samius veſtigia plantae
  Herculeae, moles cognita tota fuit.
Sic etiam Rogii pedibus dum ſcripta ſolutis,
  Et quamvis tenui cortice cernis opus:
Pars quotacumque tamen dotes tibi monſtrat & artem,
  Monſtrat & ingenii cetera dona boni.
Monſtrat & Hiſpanis quantum jubar exit ab oris,
  Qualis & occiduo fulgeat orbe jubar.
Nectar & ambroſiam poſthac effundet Iberus;
  Jam Tarteſſiacis Sol orietur aquis.

DE SPINULAE LIBELLO.

MIRARI Heſperidum jam deſine roſcida, lector,
  Poma, vel Alcinoi rura beata ſenis;
Vel Tagus auriferis locuples quod volvit in undis,
  Vel quo purpureis Hermus abundat aquis.
Quid Dodona tuam jactas, quid Media ſilvam?
  Maſſice quid vites, quidve Falerne tuas?
Spinula, dulce melos fert, cinnama, nectar, amomum,
  Chryſolitos, aurum, balſama, thura, Deos.



AN-

ANT. FRANCISCI RAINERII CARMINA.

DE NUMA.

VIDERAT armato Tibris sub rege, Quirites
Jura dare edomitis Martia finitimis:
Viderat & Superis populum pia thura ferentem,
Sacraque sub sancto surgere Pompilio:
Cum laetus, resono haec effudit flumine: nostra o
Quam bene Roma colit, quam bene bella gerit!

DE ALEXANDRO MAGNO.

QUID tua te, Macedo, juvit lato aucta per orbem
Gloria, Hyperboreo qua riget aura gelu?
Quaque pharetratae surgunt juga Persidis, & qua
Ebibit Eoas decolor Indus aquas?
Victorem cum te populorum vicerit ira;
Noxiaque undanti pocula sumpta mero;
Et tumidi fastus, Divum queis poscis honores,
Cogis & ingenuos flectere colla viros?
Haec procerum impulerunt fida olim pectora, regi
Miscere e saeva toxica Thessalia.
Fortunam reverere nova, o, qui sceptra capessis:
Nam Dea regna agili datque adimitque manu.

GOTHO-

DE ODETTO LOTRECHIO.

DICITE qui Tuſci colitis prope Tibridis undam
Templa Deum, & magnis thura datis Superis;
Dicite, cur Galli manes animamque ſuperbam,
Lugubri celebrant carmina veſtra ſono?
Haec meruit rabidam inluviem qui perpulit, unde
Barbarico excuſſa eſt Urbs labefacta jugo.
Quare ingentem umbrã Lotrechi, animamque potẽtẽ
Inſerimus claris carmine coelitibus.
Pergite Romulidum proles, neu dicere laudes,
Neu pigeat manes excoluiſſe pios.
At tu ſperne virum exciſa alto e marmore facta,
Summe Ducum, auratiſve addita imaginibus.
Sic melius; tua ſic ſe tollit ad aethera virtus,
Vincat ut aerias culmine Pyramidas.

IN COSMUM MEDICEN.

TE duce, mortales quae dedignata ſceleſtos,
Extulerat niveos aurea ad aſtra pedes,
Aurea nunc Aſtrea redit: Venus ante receſſit
Sacrilega, Etruſcae, Coſme, decus patriae
Per quem parta quies, & pax, & copia rerum eſt;
Et Sophiae, Aonidumque artibus ortus honos.
In falcem duce te galeae conflantur & enſes,
Nec lethale ſonant claſſica, nec litui.
Marte ſatus, Janum claudis, quis claudere Janum
Mavortis prolem te poſuiſſe putet?

AURELII ORSI

IN M. ANTONII COLUMNAE TRIUMPHUM.

JAM tange plectrum, dic age jam melos
Thalia gratum, seu viridi libet
Sub colle, sive ad lene sacrae
Murmur aquae, strepitumque silvae.
Namque ille Princeps; cui galeam dedit
Pallas, Camoenae cui, Themis, & bona
Lucina nascenti benignis
Luminibus, placidoque vultu
Risere; turmae cum grege Turcicae,
Lauro decorus nunc Capitolium
Scandit, triumphalique curru
Signa domum retulit, Scytharum
Erepta rostris. o quis honoribus
Aeternet almis Romulidum tuas
Columna, virtutes, Latinae
Gentis honos, columenque Romae!
Funesta tandem robore nam tuo
Classis Scytharum concidit aequore;
Sensitque quid virtus, & acre
Consilium, ingeniumque possit
Gentis, secundo quae tulit exitu
Urbes per omnes militiam, & Getas
Indosque subjecitque Persas
Viribus, imperioque Romae.
Antiqua nondum proruit inclyta
Virtus: triumphi vivit adhuc amor:
Romana jam magnos Quirinos

Terra

Terra feret Curiosque fortes.
Jam nec Camilli, nec Marii invides
Partii triumphis, dum minitantium
Compressa deducens cathenis
Colla ducum, veheris triumpho.
Ut Vaticani vocibus insonant
Montes, ut uda Tibris arundine
Velatus, & colles propinqui
Plausibus exiliere laetis!
Ut vestis, aurum, fulget & Indicum
Ebur! decentes ut juvenum chori,
Ut fulgor armorum coruscus
Sollicitas pepulere curas!
Laetare victor, more patrum, tuis
Gestis triumphis. scilicet ultimo
Spectator huc venit Britannus,
Oceano, Rhodanique potor.
Non, Roma, talem palma Numantiae.
Curru superbo restituit ducem
Tibi neque immensi labores
Amphitrioniadem Pelasgis
Non Caesares, non Scipiadas parem
Tarpeja rupes vidit, & Itala
Tellus; nec invictos Nerones
In patriam reditum parantes.
Io triumphe! en victor equo super
Nunc huc habenas, nunc animi notas
Illuc reflectit; nunc beatae
Cernit opes, fremitumque Romae.
Huc Musa frondes, huc breve lilium
Permisce gratis floribus, & comas,
Thalia, victori Columnae
Cinge rosa, viridique myrto.

ANTONII THYLESII COSENTINI.

AENEAS, PARATIS NAVIBUS, ALLOQUITUR PATRIAM.

JAM nova coeruleas deducta est classis in undas,
Caesa sub Idaeis pinea verticibus.
Impelluntque leves suspensa rudentibus aurae
Lintea dilapsis undique sideribus.
Linquendum est jam dulce solum, fuit inclyta quondã
Troja ubi, sive armis inclita, sive opibus.
O patria, o manibus tumulata hostilibus, omnis
Collapsa in cineres uno eodemque rogo.
Tanta fuit nunquam e florentibus urbibus ulla,
Tam subito & casu diruta praecipiti.
Si qua salus superest post fata novissima, salve,
Atque vale; extremum hoc, quod datur, aspicere est.
Non licuit saevis, aut te hostibus eripere, aut me
Te prius optato concidere interitu?
Flavus ubi toties atratus caede refluxit
Xanthus, ubi & Simois decolor auxit aquas.
Quave manus Danaum pavitans per littora in altum
Profugit, ratibus delituitque cavis.
Aut latebrosa gravis tenebras cum enixa per atras
Exitium peperit bellua Dardaniae.
Cum, cives rapite arma, urbs tota fremebat in auras
Vocibus, hostis adest, ferte, agite, arma viri.
Ilion aeternis deplorandum lamentis,
Quis tua tot potis est, quin mala tanta queri?
Saevitiam hostilis ferri subiisse, per aedes

Ci-

Civili undantes sanguine, perque vias.
Ignibus heu devota furentibus omnia. si quid
Restitit, Argolicae sensit aratra manus.
Tunc potui superesse armisque dolisque Pelasgum
Numine sublatus matris Acidalia.
Cum vetus armipotentibus a Priameja Graiis
Capta, malum, auratis ardua culminibus
Corruit, & flammis superantibus omnia diris
Exsultabat atrox caede Neoptolemus.
Quem furere, & geminis immistum vidi ego Atridis
Terribilem abjectis stare cadaveribus,
Hercaeumque Jovem Regis foedare senili
Sanguine: quam indigna est hostia caesa Jovi!
Funera post nati crudelia raptus ibidem,
Ilicet aeternum tuque puerque vale.
Et soboles germana, perit quae, excelsa viretis
Silva velut telis saucia nubigenis.
Perdidit unius furor omnes semper aquosa
Malvisses Ida pascere lanigeras,
Agresti contentus amore; fuisset Oreas
Sive tibi cordi, candida sive Dryas:
Innuptis quam sic alienam abducere nuptiis,
Damnoso insignis factus adulterio.
Tempore quo virgo doctissima Priamidarum,
Sparsa coma, & niveas fletibus uda genas,
Affatur mare prospectans e turribus altis
Infortunatos Laomedontiadas:
En iterum Graiis cadit Ilion, Ilion, armis:
Pergama collucent ignibus Inachiis.
O tantum prohibete nefas, miserescite venti,
Vos saltem venti pellite, ferte ratem,
Reddite desertis, fugit unde, penatibus, actam
Turbine, vel rapidis mergite vorticibus.

Quid soror insanam retines? ad busta jacebis
  Tu quoque amatoris vindicis ulta prius.
Sed melius, mihi quam quod Fata inimica reservant
  Impie dira dabis jam mihi supplicia.
Verte Dea ingentes fluctus, e nubibus atris
  Nata patris casta coniice tela manu.
Ultima sed superant immania: maxima Phoebi
  Nulla forent utinam, vel rata dona forent.
Sed tantae reus es seu caedis, sive Deorum
  In mala devotus numina, tuque vale,
Eminus Herculei trajectus acumine teli,
  Sparsus & intonsam pulvere caesariem:
Et, patriae ante omnes quondam tutela, peremtus
  Magnus Achillaea cuspide Priamides,
Felix Priamides, cui sic occumbere, mortem
  Et licuit campis oppetere in patriis.
Excidio superare tibi non contigit urbis.
  O Neptune perit, Phoebe opus atque tuum.
Nec stupefacta repentinis ululatibus auris
  Horruit, & rebus tot doluere oculi.
Infandis rebus, quas nox congesserat una,
  Una omne extinxit nox decus Illiacum.
Ah facinus! celso dejectus culmine quis non
  Respersit lacrimis hostibus ora puer?
Sacrilegas miser ille manus tremefactus, & iras
  Sensit Ulysseas regius Astyanax.
Imperiis quoque paret herilibus Hectoris uxor,
  Tradita victoris serva ministerio.
Hic quoque praemoriens vitasti munere Divum:
  Mors data, non vitae lux tibi demta fuit.
Sed neque regalesque nurus, matrumque catervas
  Contigit addictas cernere servitio.
Perque salum rapere insuetum, insultantibus essent
Tam

Tam procul Argivis matribus ut famulae.
Trojugenum regina parens longaeva, triumphis
Passa nefas o quantum acta Agamemnoniis.
Et soror Aeacidae laetalis cura sepulti,
Altera quaeque tuum movit, Apollo, animum.
Tertia, quam flammis nequicquam atque hoste recepti,
Rapta iterum est conjux regia caelitibus:
Qui mihi fatalis sociam invidere laboris,
Jucundam longe qui comitemque vitae.
Illa per umbrosas, docuere oracula, silvas
Sacra facit Matri maxima turrigerae.
Quanta tamen cunque est, mihi verte nulla relicta est.
Praesidet alma aliis, sed perit illa suis.
Care puer, jubeam cur ora madentia fletu
Tergere, & curas pellere, Jule, animo.
En ego, solator tot luctibus indefessus
Frangor, & huic uni mens mihi pressa malo est.
Vive tamen nostri non immemor, o ubicunque
Es nemorum, fluvios seu colis undisonos;
Atque vale: feror exsul aquae super aequora vasta,
Fata jubent quo me tendere Caelicolum.
Et pater ipse comes grandaevus non timet ire,
Servatus patriae bis pater exitio.
Nec communis amor natus, tua dulcis imago.
Parvus idem profugus denegat exsilium.
Cum sociis, mecum simul omnia ferre paratis,
Aspera quae terrae, quaeque ferunt maria.
Jamque rates evaserunt; quos igne Penates
Eripui, velis flamina carbaseis.
Servate o semper felicia, vosque Latinis
Templa manent meritos maxima littoribus.

BAPTISTAE SPAGNOLI MANTUANI.

AD COMITEM FREGOSIUM COMPEFREGOSUM.

DULCE Musarum decus, & voluptas,
Patriae splendor Ligurumque princeps,
Quem fovet dulci gremio receptum
Hospita Manto;
Impio postquam Genuae tumultu,
Missus ex alto Phlegethontis amne
Jura subvertit placidamque pacem
Nuntius Orci,
Te decet magnos animi dolores
Atque Neptuni salientis aestum
Ferre, & accenso Jove fulgurantem
Fortiter iram.
Rebus adversis agitata virtus
Crescit, & robur cruciata longo
Sumit attritu, meliusque terso
Candicat ore.
Ocium clari fugiunt honores;
Nobiles ducit labor ad triumphos;
Sudor insignes iter ad coronas
Monstrat apertum.
Unico vitrum superatur ictu;
Spernit incudes adamas, & omnem
Malleum: virtus animosa casum
Sustinet omnem.
Debiles nautas humilemque cymbam

Africus pulsis violenter undis
Jactat, & vasto fragilem carinam
Vortice sorbet.
Fronte sublimi ratis alta proram
Tollit, & Caurum Boreamque ridet
Atque prosternit valido sonantem
Pectore Pontum.
Blanda fortunae levitas in altum
Volvit; & facti cito poenitentem
Dexteram versans male fida curvum
Deprimit orbem.
Fortium gaudens hominum ruinis,
Regna longinqui penetrare mundi
Cogit Heroas, patrioque pulsos
Jactat ab Orbe.
Egit Aeneam pelago vagantem
Flante per nigros Aquilone fluctus
Atque nimboso reboante caelo
Littus ad Afrum.
Pulsus antiquam Salamina Teucer
Liquit: Alciden odium novercae
Misit ad Gades, ubi cernit altam
Julia Calpen.
Faucis angustae mare vorticosum
Exsules quondam soror atque frater,
Heu nimis tristi secuere cursu,
Phryxus & Helle.
Velleris fulvi spolio superbus
Aequor Euxinum, gelidamque Tethym
Thessala primus rate navigavit
Fortis Jason.
Magna, non una regione virtus
Clauditur, toto spatiatur Orbe.

Sicut

Sicut immensum radians Olympum
Clarus Apollo.
Perfidam sortem generosa virtus
Spernit, & plausum popularis aurae
Aestimans ludi puerilis instar
Libera regnat.
Vate Dircaeo generata Manto
Unde gens urbis fata Mantuanae
Juncta Tyrrheno Siculam Charybdim
Vidit & Eetnam.
Vidit & ripam resonantis Arni,
Qui per Hetruscos sinuosus agros
Serpit, & cultis inimica campis
Flumina volvit.
Inde per montis juga saltuosi
Venit errantes ubi major undas
Mintius spargit, bifidoque terram
Circuit amne:
Tum solo nomen dedit occupato,
Atque Thebanos imitata muros
Cum sua celsam genitrice proles
Condidit arcem.
Nave Phoenices Tyria colonos
Regnaque fratris fugiens avari
Nobilem Dido patriam Colossi
Vidit in undis:
Vidit & Cyprum, Paphiamque gentem,
Transiit Syrtes, Lilyboea lustrans
Aequora, & tandem Libycae subivit
Littora Byrsae.
Spernit imbellem populum libido
Dira fortunae, tumidoque plebem
Corde fastidit; sua tela frontes

Mittit

Mittit in altas.
Ergo priſcorum memorata Virtus
Excitet fortes animi lacertos;
Et tuae fiant tibi clara gentis
Stemmata calcar.
Namque te magno genitore natum,
Atque Virtutis gremio educatum
Ad decus ſummum vocat, & ſupremam
Gloria laudem.
Ergo viſurus Pyliam ſenectam
Vive, nec tantum Genuae potentis,
Regna, ſed pinguem teneas Hetruſci
Littoris oram.
Africae latis dominare campis
Atque Sardoi ſpatioſa ponti
Doris, & bello ſuperata Cirne
Porrigat arma.
Dum venit fati melioris aetas,
Liberum curis animum ſolutis
Transfer ad Muſas, viridique lauro
Tempora cinge.
Et per horboſos ſpatiare tractus,
Qua Padus ripas oneroſus altas
Complet, & mites ſalicum per umbras
Serpit in aequor.
Laeta Regali Sabiola tecto
Villa felici redimita cultu,
Te ſua tutum ſtatione longos
Servet in annos.
Servet & prolem Deus, atque clarae
Conjugis ſanctum caput, & nepotes,
Voſque caeleſtem ferat in ſenatum
Longa ſenectus.

ANTONII CAMPANI

AD DIANAM.

PELIACAS primum mirata est Troja carinas,
 Aemonias spectans per freta vasta manus:
Undique discurrunt, Sigaeaque littora complent,
 It Priamusque puer, Laomedonque senex;
Inde alii: atque novas mirantur Jasonis artes,
 Aequoreumque putant littore adesse Deum.
Cum diri saevos Martis furor ivit in enses,
 Praebuerat nostris non leve numen avis.
Primus opes alius fulvo cum vidit in auro
 Quam cupidas censes hunc habuisse manus?
Et nova delectant animos; capiuntque tenentque
 Inde etiam factos creditur esse Deos.
Juppiter unus erat latis Cydonius oris;
 Et Venus in Paphis una reperta jugis.
Mars unus Geticis, Liber pater unus in Indis;
 Ingenio, forma, non habuere pares.
Hinc rudis & facilis mirari cuncta vetustas,
 Quos raros vidit, credidit esse Deos.
Ergo jam rara facie, vultuque *DIANA*,
 Exspectes nostra thura Sabaea manu.
Id tibi non desit, proprium indulgere Deorum est;
 Si capies nostras, es Dea magna, preces.

AD BLONDUM.

BLONDE, Pio vivo moreris: nil morte dolendũ est,
 Tu famae & domui consulit ille tuae.
Astra tibi, natisque patris concessit honores.
 Qua tu alia optasses conditione mori?

EJUS-

EJUSDEM EPITAPHIUM.

HIC situs est Blondus, Priami, cui forma; Catonis
Vita; Titi Livii fama decusque fuit.
Conjuncta est sancto, conjux pia, Paula marito;
Feminei sexus gloria, ut ille virum.

JULII ROSCII HORTINI

IN POEMATA LAELII CAPILUPI.

LAELIUS hac celebri redivivus conditur urna;
Fama volat cujus docta per ora virum.
Vivere si Musae sacris dant vatibus; huic bis
Musarum raro munere vita datur.
Hoc bona posteritas grato debebit Julo,
Per quem Phoenicis more revixit avus.

AD SCIP. GONZAGAM S. R. E. CARD. DE JULIO CAPILUPO.

JULIUS ingressus Pindi per amoena vireta
More patrum, patrias colligit inde rosas:
Et quas per varias Maro texuit ante corollas,
Inserit in varios florida dicta modos.
Tu Gonzaga tuis quas Patria mittis ab hortis
Insertum lectas sume Maronis opes:
Et tibi frons quanquam Romano fulgeat ostro;
Non minore patria est qui tibi venit honos.

AD PROSPERUM CAPILUPUM.

UT te, Castalio cupidum succedere clivo,
Adspexit duram Delius ire viam,
Extulit os, placidaque nitens in fronte reluxit,
Jussit & hos Musas edere voce sonos:
Aude animo Capilupe: riget via tramite longo
Invia; sed summo vertice laeta quies.
Vix haec, cum sacrae frondes venere per auras,
Et cinxere tuas laurea serta comas,

PROSPERO A BAUMA.

AONIOS inter, Prosper, clarissime vates,
Dum feris argutae dulcia fila lyrae:
Hos, etsi ruris cantus, ne despice. Apollo
Laeta per Admeti pascua duxit oves.



THO-

THOMAE CORREAE
CARMINA.

AD PIUM V. PONT. MAX. IN VICTORIAM PARTAM DE CLASSE TURCICA.

SANCTE ſenex, cujus monitis, qui temperat orbem.
  Temperat imperii ſceptra priora ſui.
Inſignis pietate Heros, qui primus ab illo es,
  Qui magnum hoc mundi Rex moderatur opus.
En tibi poſt domitas hoſtili ab litore gentes,
  Salva redit Scythicis claſſis onuſta opibus.
Quae, duce te ſancto cojerunt foedere puppes,
  Exuvias referunt, & ſpolia ampla Getae;
Et majora parant faciles tibi gaudia Divi:
  Gaudia non priſcis cognita temporibus.
Aſſueta Hadriacas pinus Getula per undas
  Vincere jam victas ſubiicit illa manus.
Experta eſt juſtos gens pertruculenta furores,
  Et cecidit forti Thrax, Numidaeque manu.
Amiſſas luget praedatrix Africa puppes,
  Et Rhodos, & ditis qui colit arva Phari.
Qui Helleſpontiaco clauduntur gurgite, caede
  Audita, triplicis claſſis, ad arma pavent.
Miſſaque ab Hiſpanis puppis, Venetaeque carinae,
  Et quas auxilio das Pie Quinte rates;
Ut primum Jonias victricia ſigna per undas
  Explicuere, Getas diripuere trabes.
Quidquid id eſt, per te partum eſt, ea gloria palmae
  Tota tua eſt; per te tot cojere duces.

Cor-

Corripiant ut tela mones, contraria signis
Signa ferant ſuades, pandere vela jubes.
Opponant ratibuſque rates; atque enſibus enſes
Diſtringant, jaciant aere tonante faces.
Arma omnes uno ore fremunt; arma, arma juventus
Reſpondet; bellum ſuadet inire Pius.
Ergo ades, atque initum foedus firma; impiger aude
Pro ſancta reges ſollicitare fide.
Et quos concordi junxiſti nuper amore
Fac durent; ſuade foedus inire alios.
Per te ineant acies, per te victricia figant
Signa per extremos, qua patet unda, ſinus.
Perge ingens pietate Heros, Diis aemule, juſtum
In bellum reges ſollicitare alios.
Te duce cana Fides vaſtum diffuſa per orbem
Conterat invicta caſtra inimica manu.
Jam video Libyae compleri milite campos
Auſonio, & cymbris aequora tota tegi.
Jam video oblitis trepidos dare terga pharetris
Sauromatas, contra dum tua caſtra ruunt.
Praedatorem Aſiae victum video ante triumphos
Flectentem victas ad ſua terga manus:
Urbibus Eois, totoque Oriente ſubacto
Victores repetant ut ſua tecta duces.
Adſpicio gemiano cretos ſub cardine reges
Aut cadere ante aras, aut fera vincla pati.
O quae magne Heros, o quae felicia ſurgunt
Tempora Chriſtiadis te duce, te comite!
Non ego vana cano, ſed mens praeſaga futuri
Indiciis certis fata retruſa aperit.
O lux laeta, o lux jucunda, o gaudia certa,
Cum quacunque novae tempora Pacis erunt.
Nam qui te tenuem elegit, penituſque jacentem,
In

In partem imperii, sceptraque prima soli;
Excitat ille humiles, elatos deprimit; idem
Illis imperium sufficit, hisque adimit.
Is tibi sceptra dedit, sceptris quoscunque subegit,
Qui merito observant semper honore Deum.
Cum peteret Regemque suum, Christumque negaret
Gallia, & eriperet jusque piumque piis;
Pelleret a patria Pietatem, & jura sacrorum,
Et fureret Stygiis saeva Megaera dolis;
Tu custos, regumque Pater Pie, qui pia semper
Bella geris; nigris jurgia mergis aquis.
Contra acies mittis, fulgentiaque instruis arma,
Viribus opprimitur perfida turba tuis.
Atque ubi supplicii subeunt genus omne nocentes,
Fit Phlegetonteo praeda, cibusque cani.
Truduntur rabidi sub Tartara caeca rebelles
Belgae; mox sub te victa Granata fuit;
Vera tot exuvias sub te Pietasque, Fidesque
Tot spolia, & palmas, hoste cadente, refert:
Et Divum effigies proprias statuuntur ad aras,
Et templis sacrae restituuntur opes.
Et juris, legumque redit veneranda potestas,
Moresque in melius vertere quemque juvat.
Atque tuum Pie munus id est, quod quisque per orbem
Inferat inferno bella inimica gregi.
Vive igitur, Pie magne Heros, visure triumphos
Finibus extremis quos tua castra ferent.
Tu tamen ardentes stimulis in proelia reges
Incita, & arma manu tu quoque sume senex;
Arma preces, & vota quibus Deus annuat, arces
Aethereas pulsent; haec cape tela manu.
Te duce sit sociis mens omnibus una, sit idem
Semper amor, coepti foederis exstet honos.

Uno omnes animo in pugnam si signa sequantur,
Starequis hos contra, quis super esse queat?

AD D. JOAN. AUSTRIACUM DE CLASSE TURCICA VICTORIA PARTA.

CAESARIS invicti proles, quo principe subdet
Thrax ferus Austriaco colle superba jugo;
Tende ultra, & patrios aequent tua facta triumphos;
Tende ultra, ulterius te tua Fata vocant.
Tende agedum ulterius, quo se tua gloria monstret:
Principium hoc certum jam tibi monstrat iter.
Perge bonis avibus rutilum Sol alter in orbem
Prome caput; radiis splendeat aethra tuis.

EIDEM

MACTE animo, Austriacae magnum decus addite genus
Insequere, & factis insere facta tuis.
Caesaris ad fastos titulos adjunge triumphos,
Adde triumphato Victor ab orbe tuos,
Hellespontiacus subdet tibi sceptra Tyrannus,
Regna Asiae, & Libyae Thrax, Numidaeq; dabunt,
Tu ne fige pedem, sed contra ardentior ultra,
Perge Heros: gaudet te minor esse pater.

AD EUNDEM.

SI primo ingressu decies quater amplius Orco
Mille Getas trudis; carbasa mille capis;
Quid facies, ubi vela Heros sinuantibus Euris
Verteris in Libyci regna opulenta soli?

AD

AD SELINUM SULTANUM TURCARUM REGEM.

IN te dum Sultane ferox Aquila explicat alas,
Et Pius, & Venetus comparat arma Leo;
Intonuit laevum rerum ter maximus ille,
Ille hominum rector maximus, ille Deum:
Et foedus gratum esse sibi hoc ostendit apertis
Indiciis, palmae pignora certa dedit.
Principio hoc, alios promittit mille triumphos,
Mille notat palmas, mille trophaea parat.
Si sapis, ergo tuis, dum sors fert, consule rebus,
Et Christi suavi subiice colla jugo.

IN EANDEM VICTORIAM.

VICIMUS o cives, nostra est victoria: dicat
Omnis, io, laeto turba triumphe sono.
Perque vias, & tecta canat gens laeta triumphos;
Victori statuant mille trophaea patres.
Relligiosa cohors laetis indulgeat hymnis,
Et quisquis sancta pro Pietate dolet.
Sarmaticae periere acies, periere carinae,
Missaque ab Ismario gurgite capta manus?
Et quae multiplici violenti cuspidis arcu
Thracia fidebat, turbine mersa ruit.
Victa Tomitano, quae solvit ab aequore, classis,
Victa Boristenio missa carina sinu;
Et quaecumque Rhodo, quaecumq; profecto Canopo,
Et quaecumque freto venit ab Herculeo.
Thrax sceleratam animam mediis effudit in undis,
Grexque Hellesponto lectus in arma jacet.

Quod si quis justo potuit superesse furori
  Remigium ratibus per data transtra sedet.
Sauromataeque Scythaeque feri, Getulus, & Afer
  Purpureas Nerei sanguine fecit aquas.
Sanguine pinguescunt pisces, depascitur artus
  Morsibus assiduis hispida turba maris.
Joniisque natant inhumata cadavera campis,
  Plurima squammigero praeda, cibusque gregi.
Miratur rex ipse maris Neptunus ab imis
  Sedibus, & Thetys Nereidumque chorus.
Certatimque udum caput in sublime ferentes
  Tot strages Nomadum, funera tanta stupent.
Caeruleus Triton, Phorcique exercitus omnis
  Circum victrices itque, reditque rates.
Tranquillamque viam classi, cedentibus undis,
  Ante vagus Glaucus per vada salsa aperit.
Atque aliqua ex Nymphis, vastũ quas continet aequor,
  Seu formosa Eryphe, seu Galatea fuit;
Litora ad Hesperiae juvenem dum spectat onustum
  Tendentem exuviis Thrax furibunde tuis:
Dignus hic est dixit, quo nato Carolus ultra
  Invictas Aquilas mittat ad imperium.
Caesare magnanimo dignissima patre propago,
  Caesaribusque atavis, & proavis, & avis.
Maximus ille armis Mavortia in arma paternas
  Ultra Aquilas victor; qua patet unda, feret,
Ille foros animos justis compescet habenis,
  Quicquid ad Auroram sol ab Atlante videt,
Et quicquid longe medium procurrit in Austrum,
  Quaque axi Arcto o frigida terra jacet.
Namque hoc principium, quae par fortuna sequetur?
  Qua tegit, & qua sol exerit ora, patet.
Cum regat immensum pondus, quod maximus Atlas
Si

Si ſubeat, diſpar viribus ibit Atlas.
Quem fore crediderim, poſtquam maturior aetas
Creſcet, & imperii ſarcina major erit?
Principio hoc longos reparat ſibi nomen in annos,
Atque auget titulos, & decus omne domus.
Hoc juvat aeternos victorem emiſſe triumphos;
Hoc famam ſtellis inſeruiſſe juvat.
Nam, quae per terras, perque ultima regna vagatur
Fama volans, partum narrat ab hoſte decus;
Nunciat, & belli palmas, & mille trophaea,
Truſaque ad Eumenidum millia multa domos:
Exuviis ornaſſe rates, cepiſſe triremes
Sauromatum, multos eripuiſſe jugo,
Et plures Numidaſque Getaſque Daaſque carinis
Remigio in noſtris ſubſtituiſſe docet:
Ut palmis aſſueta olim, contraria votis
Agmina ſenſerunt, ut ſubiere jugum.
Audiit hoc Europa decus, contendit ad Indos
Haec fama, & pondus qua ſubit orbis Atlas.
Venit & ad Tanain, quaque arida culta Canopi
Ditat inundanti qui tegit ora luto.
Tenit & ad Gangem, gemmiſque auroque beatum,
Pactolum, & gelidis qua riget Albis aquis.
Venit in adverſum latus orbis, & ultima regna
Terruit: haec loquitur proelia dives Arabs:
Ignivomoſque arcus, tormentiferaſque pharetras
Torſerit in Libycas ſtirps generoſa rates.
Sulfureoſque globos, & tela armata rotarit
Aere cavo contra perfida caſtra Scythae;
Ut late belli fragor audiretur, & acer
Frangeret inſolitus litus utrinque furor.
Auditamque ululare imis e cautibus Echo,
Et duplicare iterum claſſica pulſa ſonos,

 Ceu

Ceu quale exitium jaculato e nubibus igne
 Inducit terris cum furit ira Jovis.
Ceu quali furibunde trahis nemora alta fragore
 Saepe ab Hyperboreis cum ruis Eure jugis.
Ceu cum praecipites agitas stridore procellas,
 Cum fremis Icariis Caure proterve vadis.
Felices sancto concordes foedere puppes!
 Foedere Barbaricae quo minuuntur opes.
Quo Libyaeque ferus populator, avitis
 Pulsus agris, discet vincla aliena pati.
Tempus erit cum digna fide, cum vera poëtae
 Posteritas olim carmina certa leget:
Cum domitum audierit leges mutasse Niphatem,
 Et dare jam victas ultima Bactra manus,
Cedentemque Tibri Nilum, Gangemque & Hidaspẽ,
 Et Tanaim, & quisquis sceptra aliena colit:
Indomitosque Daas, Morinos, pictosque Gelonos
 Viderit imperium, Roma, subire tuum.
Tunc ego mille canam palmas, & mille triumphos,
 Partaque Christiadum mille trophaea manu.
Teque adeo o Pie Quinte canam, quo vindice durat
 Hispanos inter foedus, & Euganeos:
Ut sub Romanas veniat te principe leges,
 Quae colit ignotos gens malesana Deos.
Et te maxime Rex, bene cui qui temperat orbem,
 Subdidit Europae sceptra priora canam.
Vosque etiam o Venetae pulcherrima gloria gentis
 Inferam, & a Veneto nomine surget opus.
Auratis circum puppes Victoria pennis
 Adstat, & in vestris puppibus alta sedet.
Crux, Aquila, atque Leo bellantum pectora firmant.
 Impia quis contra tres ferat arma Deos?
Vos quis stare queat contra? quis fervida contra

Au-

Auſtriaci juvenis ſpicula torta manu?
At tu, quem propter claſſem regit ille, cruenta
Bellaque quem ſolum propter, & arma gerit:
Da pater, ut frenet populos, gentemque rebellem,
Et ſubdat ſuavi regna inimica jugo:
Et ferat exuvias Capitoli ad culmina, debet
Quas Tiberi infidi littus utrumque maris.

JOANNIS DARCHII, VENUSINI,

CANES.

QUAE generoſa canum ſoboles, quis cultus alendo
Sit catulo; unde ſuos Epirus clara Moloſſos,
Audaceſque ſibi commendet Sparta Lacones,
Diva refer. tu venatrix Dictynna ferarum,
Quae jaculo celeres nemoroſa per avia cervos
Traiicere, & timidos gaudes praevertere damas,
Huc ades, & noſtro adſpira Dea caſta labori:
Tu nemorum regina potens, tibi devia luſtra,
Et vaſtos canibus ſtudium eſt circundare ſaltus.
Namque tibi in valleſque cavas, monteſque ſupinos
Antiquos Divum lucos, ſilvaſque ſonantes
Imperium eſt: ſaliens tecum decurrit Oreas
Montibus, & ſpoliis & caede ſuperba recenti:
Ergo ades, & noſtris adſis Latonia votis.
Principio catulus facie ſpectabilis alta
Hirſutis rigeat ſpatioſo pectore villis:
Membra toris ſurgant latos animoſa per armos.
Rectaque ſe crudo diſtendant robore crura.
Colla brevi tumeant ſpatio, glomarataque ceruix

Disiectas ferat auriculas, radientque coruscum
Ravi oculi glaucive, & magno immitis hiatu
Ingentem fundat vasto clamore latratum:
Sic trepidum stabulis furem, tacitasque luporum
Insidias, illo nunquam custode timebis.
Postquam etenim pingui rediere e gramine sera
Nocte greges, tremulisque vocant balatibus agnos
Lanigerae matres, explorat ovilia circum
Ipse vigil, dominoque timens, vestigat ubique,
Ne fur vel stabulo repat, vel clausa fatiget
Septa lupus, sensimque velit se immittere tecto.
Nec soli invigilat pecori generosa propago:
Namque alius (comperta loquor) levisomnus heriles
Excubat ante fores, abigitque latratibus hostem.
Vix audita alius domini mandata capessit
Sedulus, & nutum observat, vocemque loquentis.
Ille sagax leporem scrutari; hic utilis undis,
Sollicitat medio revolantes flumine mergos:
Ille feras vastis turbare cubilibus; ille
Fulmineos agitare sues bonus; ille fugaces
Persequier capreas; celeres his gloria cervos
Sistere, & immani concurrere cominus ursae,
Aut gravia Eoi prosternere pondera Barrhi.
Hic alius celsa pascentes rupe juvencos,
Hircososque greges comitatur, & ardua praeceps
Saxa per & scopulos montana armenta tuetur,
Praedones aut dente premens, aut ipse vicissim
Occumbens, animoque ruens in vulnera forti.
Est etiam ex illis gens Martia, quaeque feroci
In medias ausit concurrere fronte cohortes.
Haec si terrifico Mavortia classica cantu
Sanguineum accendat opus, & clangore tremendo
Pugnaces acuant in tristia funera turmas,

In-

Inspirentque animis rabiem, caecumque furorem;
Castra viris differta petit, custodia fidos
Certa capit vigiles, alternaque munia tractat:
Inde alias aliasque acies per cornua versa
Fronte locant pugnasque ineunt, & bella lacessunt
Acrius, insultantque hosti, morsuque fatigant.
Non strepitu horrisono, aut ullo terrore moventur.
Nec celeres horrent Medo jaculante sagittas,
Pilave, & Haemonio missas tyrone sarissas,
Liventisque globos plumbi, pandasque catejas,
Aut teretes rapido vibratos turbine contos,
Haec Marti devotus amor, divaeque furenti
Negligit, & plagis gaudens, & strage cruenta.
Nec quenquam videas qui terga fugacia vertat:
Declinetque ictus duros, gladiosve, sed omnes
Aut fundunt hostem, aut communi clade feruntur.
His Colophoniacae (si vera est fama) phalanges
Auxiliis hostem valido fregere duello:
Infaustoque olim cecidissent Caspia Marte
Agmina, ni tali defensa cohorte fuissent.
Quae functis patribus (meritis ut digna rependant
Officia) canibus curant communia busta,
Exequiasque pares, & easdem in funere pomas.
Istis rex Garamas, solio dejectus avito,
Militibus regnum, sedesque recepit ademptas.
Quin etiam Cymbrum juvere ad bella ferocem,
Sanguineoque leves tenuere in pulvere Carros.
Hos Maurusiacus sibi Massinissa paravit
Custodes, hominum fidei diffisus, & isto
Non sibi conducto sua sceptra satellite cinxit.
Talis & antiquis custos nutritus Athenis;
Phoebigenae quoniam modico sacra vecta Epidauro
Sacrilego vigili servasset ab hoste latratu.

Quid

Quid referam quos auratis Minoja templis,
Creta refert positos vigiles? quosque insula solis
Carpathii celebrat servantis littora ponti?
Adde etiam, quod nulla homini mage prodiga grati
Officii quadrupes, dominisque fidelior ipsis:
Nam movet ad numeros se se; & quo jusseris ibit
Ocyus, ad nutus iterumque iterumque recurrens:
Frigoribus vinci, aut rabioso nescius astro.
Et licet Herculeis fugias a Gadibus usque
Ad Tanaïm, aut Abras, rutilique volumina Gangis,
Usque sequetur ovans, tua nec vestigia quoquam
Deseret, ac lateri semper comes ibit herili.
Sistis iter? sistit. properas? velocius Euro
Scindit in obliquum campos, cursuque lacessit
Aërias volucres. quod si post terga relinquas,
(Nam dominum crebro adspiciens observat euntem)
Ille moram cursu pensat. viden ecce repente
A tergo ut vultuque hilaris blanditur amico,
Aut velut explorans prior in deflexa viarum
Exit, & insidias animo praesentit acuto?
Nec minus officii memor est quum pocula sumit
Tota domus, dulcique madent convivia Baccho,
Concrepuere fores? volat explorator; amicum
Si norit, blande admittit, pedibusque volutus
Haeret, & applaudit palpo, supplexque precatur
Effusi veniam temere latratus: at hostem
Aedibus exturbat, laniatuque urget, & ipsi
Limine, vestibulo corte interdicit herili.
Quod si vim faciet grassator, & obvia forte
Arma ferat; jugulo intendans, in vulnera primus
Desilit, incursatque ferox, fremituque superbo
Objectuque sui dominum tegit, & fera tentat
Praelia, nec fusum exhorret mucrone cruorem.
Testis

Testis erit dulci remeans Volcatius agro,
Sera tenebrosam traherent cum tempora noctem,
Quique olim Tusca defensus in urbe Senator
Nulla, nisi primum caeso cane, vulnera cepit.
Te quoque Paellaeo, Dari, quondam a rege fugatũ
Ingentique manu spoliatum, solus Hylactor
Belli inter casus Martisque pericula nunquam
Deseruit, fortisque comes permansit iniquae.
Quid quod & in flammas dominorũ ingnesq; rogorũ
Insiliunt alii? & cineres comitantur heriles?
Quid quod & ad bustum (tantus post funera bruto
Durat amor, tristique nequit consistere mente)
In multos mansere dies? gemuloque latratu
Impia fleverunt dominorum fata suorum?
Nulla fames, nullaeque animos flexere ciborum
Illecebrae, sed enim magis ac magis insidet alto
Corde dolor, dominoque piget superesse sepulto:
Quod reliquũ est vitae nocet, insomnesque ministrat
Nocte dieque animo curas; nova vulnera pascit
Irrequietus amor, tristesque exasperat iras:
Exangues donec vigor omnis deserat artus,
Defessoque super sua fata cadavere claudant.
Adde quod, infixos memori sub pectore vultus
Conspectosque semel, nullo oblivi scitur aevo.
Jam duodena suo percurrens astra rotatu
Bis denos radiis Titan lustraverat annos;
Ex quo Dulichios fines, Laertia regna,
Liquerat, & bello, & fluctu, jactatus Ulysses:
Quum tandem post multa trucis discrimina ponti
Contigit optatos portus, placidaque quiete
Fata dedere viro, atque Ithaca tellure potiri:
Jam neque Penelopae, fractoque aetate parenti,
Non Eumo, non Telemacho, sed cognitus Agro

Tan-

Tantum erat, effoetis languenti viribus Agro.
Non tibi pulchra Tyros tantum tua purpura debet,
(Quamvis ardenti saturatas murice vestes
Laeta geras) quantum canibus: nec Sydonis esset
Lana repercussis vibrans fulgoribus ignes,
Ni canis Alcidae scopuloso in littore reptans,
Puniceo primum tinxisset labra veneno.
Nunc age, quis villae melior, gregibusque tuendis,
Quae volucri soboles cursu, nasove sagaci
Sit potior (nec enim solers dedit omnibus unum
Natura ingenium) quae sit ratio optima prolis
Formandae, quo Musa mihi dabit ordine dicam.
Ille igitur cui dissertae custodia villae
Creditur, & vigili tristes in limine dantur
Excubiae, durum condiscat ferre laborem
A teneris, pinguique fero gliscentia pascat
Corpora sub gelido recubans sine stramine dio:
Tum furvum villo fallat nigrante colorem
Noctis, ut excubias obscuro celet amictu.
Sed qui sub vigili simas pastore capellas,
Balantumque greges sequitur, candore per agros
Molle pecus referat, mentitaque vellera tergo
Assimulet, subitoque lupum improvisus hiantem
Terreat assultu, & trepidis depellat ab hoedis.
Quod si te montes venabula ferre per altos
Aetolosque juvat per saltum tendere casses,
Ipse tibi audaces Spartanae gentis alumnos,
(Nam stabulis villae melior, gregibusque molossus)
Elige, robusta quibus a cervice rejectae
Ad terram veniant aures, hirsutaque denso
Colla pilo latos fundant cum clunibus armos.
Adde etiam Albanos, qui quantum viribus apris
Occursare valent, fuluosque aequare leones,

Et

Et vasto indomitos certamine frangere tauros:
Aligeras tantum cursu praevertere damas.
Sunt & Locrenses catuli, sunt Arcades, atque
Cypria quos Salamis, quos dives Iberia pascit.
Sunt & odorisequa celebres indagine solis
Naribus insuetos investigare recessus,
Secretosque ferae docti deprendere calles.
Hos, simul ac foetae liquere cubilia matris,
Notaque despiciunt jam faucibus ubera duris.
Mollibus assuescas epulis, pinguique ferina
Saepe avidos acuas dentes; cervique cruentum
Ad spolium latrare doce. exuviasque recentes.
Inde tibi in vacuos educere proderit agros,
Umbrosas nemorum valles, & inhospita tesqua.
Ora tamen loro forti clamosa tenebis,
Nec nisi firmatos unquam patiere furenti
Setigero, aut sese venienti opponere cervo.
Acrius in vetitum tendent, invitaque habenis
Colla reluctantum cupient exire ministri.
Interea si forte gravi spiramine raucum
Increpuit cornu, toto jam pectore praedam
Concipiunt, queruloque replent late arva boatu.
Inde suos etenim Lacedaemon Achaica laudat,
Assueti quoniam silvis, cupidique ferarum
Praecipiti fervore ruunt. perque invia lustra,
Convallesque cavas, & sentibus horrida duris
Arva, & vulnificis dumeta rigentia spinis
Dente rotant praedas, indefessique sequuntur
Quod semel emissum est, illos non obvius amnis
Vicinos dirimens sinuoso gurgite colles,
Sistit, nec rapidos lato tenet obice cursus.
Et licet assiduo frangantur anhela boatu
Ora, trahantque aegros afflictis viribus artus,

Asse-

Assequier tamen est animus: concussa fragorem
Silva dat, alta sonant late loca, curva resultant
Littora, miscentur totis fera murmura campis.
Diversa veniunt praestantes dote Molossi
Diversi ingeniis, non omnibus omnia praestat
Natura, at vario ludit discrimine morum.
Nam cum sint volucris non ultima gloria cursus,
Nec saepe audaci formident impete fulvos
Frangere apros, cervosque fuga versare paventes,
Uberior tamen est illis, & fortior inde
Laudis caussa venit, molli quod tempora somno
Pauca terunt, seu flammigero det lumina curru
Phoebus, seu niveas agitat Latonia bigas,
Somnifero obliquum volvens jubar axe per orbem.
Sed vigil domino cura, raroque cadente
Lumine prospiciunt, & herilia murmure circum
Claustra fremunt, ne sint nocturno pervia furi,
Neve lupo, tutaque greges statione quiescant.
Sin autem vacui spatiosa per aequora campi
Auritum tepido leporem exturbare cubili,
Accipitremque juvat volucri praetendere apricae,
Hic tibi sunt humiles villo breviore legendi,
Indidit ipsa suum quibus olim Hispania nomen,
Hi si forte levis toto lepus errat in arvo,
Pone legent rostro vestigia nota sagaci:
Et modo transverso, modo recto jugera sulco
Scrutantur, validis iterum sudata juvencis:
Nec prius absistent putres percurrere glebas,
Et studium tremulo caudae ostentare flabello,
Quam vestigati subito lepus aequoris ampla
Corripiat spatia, & campo se credat aperto.
Ocyus insequitur Pterelas, cursuque citato
Intervalla facit lati decrescere campi.

Jam

Jam proprior propriorque micat, jam captat hianti
Summa pedum roſtro jam terga fugacia ſtringit.
Ille pavet, flexoque obliquat tramite curſus,
Et dubia trepidans formidine, jamque teneri
Se putat, & rurſum tangentis ab ore recedit;
Fataque momento ſibi prorogat, aemula donec
Roſtra levis mergat miſerando in corpore victor,
Fulmineus victor, gemino cui tramite lumbos
Spina ſubit graciles, & caſtigata coercet
Ilia ſubſtrictus venter: ſtant crura volantem
Praeteritura Notum, longo internodia ductu
Pes gerit, in caelum tolluntur acumine bino
Auriculae, flexoque in laevia tergora gyro
Erectae redeunt falcata volumine caudae.
Sunt humiles etiam Melitaea ex gente catelli,
Quos gremio geſtare ſolent Heroides, hique
Nec curſu celerem ſectantur praepete cervum,
Nec lato pavidum leporem ſcrutantur in arvo:
Veſte ſedent fluxa, & pedibus Mileſia calcant
Serica, ſub Tyrioque recumbunt molliter oſtro:
Nunc caput exertant gremio, ſaliuntque decorum
Nobilis in vultum dominae, luſuque fatigant
Labra corallino modicum ſuffuſa rubore,
Vernanteſque genas, & ebur ſuperantia colla,
Smaragdoque graves digitos, & Perſide gaza:
Nunc tenui latrare ſono, pictoque videbis
Laſcivire toro, aut nitida juveniliter aula.
Hoc mihi, Caelicolae, triſtes lenimine curas,
Taediaque humanae concedite pellere vitae!
Hac, utinam mea vota tenus ſint improba, nunquam
Divitias Arabum ingentes, opulentaque Croeſi
Regna petam, nunquã ut vanos mihi purpura faſces
Oſtentet, populi applauſu plebiſque favore

Sol-

Sollicitis precibus Superos ambire juvabit.
At silvae, gelidique specus, cava lustra ferarum,
Ruraque & arcana labentia flumina valle
Sunt animo: hic reliquum vitae, atque extrema sororum
Pensa mihi rumpi exoptem, securus ab omni
Invidia, & misera procul ambitione, beatus
Sorte humili, & tristi curarum liber ab aestu.
Talia condebam Venusino lentus in agro:
Dum pueri (quorum ratio mihi carior omni
Laude fuit) reditum ad Musas, recidivaque fesso
Indulgent studia, & ferulae sceptra improba cessant.

JACOBI RUFINI

HYMNUS IN D. LUCAM EVANGELIS.

DUM refero te, sancte, tuas dum pectus amore
Accensus cupio laudes memorare canendo,
Optarim mihi caelesti de vertice numen,
Flagrantemque auram, qua te regnator olympi
Afflavit dum facta refers, quae maxima natus,
Quaeque olī egerunt comites postquam invia rerum
Adspexere Ducem penetrare, & linquere ventos,
Nubilaque & radiis cinctum petere ardua caeli.
Unde igitur prius incipiam? priscosne parentes,
Aut antiqua tuae repetam primordia gentis?
Aut urbem, quae prima tibi cunabula & ortus
Clara tulit, liquidis qua praeterlabitur undis,
Regiaque arva secans placidus petit aequor Orontes?
Dives ubi varios tellus diffundit odores,
Balsamaque indigenae, myrrhamq;, & thurea passim
Dona legunt? dicamne exculti pectoris artes,
Et

Et clara ingenii monumenta? unde aetheris alti
Immensos tibi per campos, tractusque profundos
Ire olim licuit, rerumque agnoscere causas,
Occultas rerum causas; & cernere vastum
Alma parens natura regat quo foedere mundum?
Quid caelum assiduis spatiis, atque orbibus erret;
Cur tellus stet mole sua, cur undique cinctam
Fluctibus aequor agens haud ullis obruat undis,
Littora cum ferit, & ventis maria alta tumescunt.
Cur non Luna suo splendescat lumine, & horis
Ocyus hibernis properet Sol gurgite Hibero
Tingere equos: glomerent largi cur aethere nimbi,
Eoae quoties Atlantides absconduntur:
At quum Tyndaridae felicia sydera fratres
Apparent, toto decedant nubila caelo;
Navitaque ire paret tutus tranquilla per alta,
Non tibi praeterea ignotum quid sidera Martis
Saturnique simul graviter coeuntia terris
Portentent: cur laetitiae certissima signa
Stella Jovis ferat, & Veneris pulcherrimus ignis.
Nec te etiam latuere hominum praecordia, quales
Inficiunt morbi, quoties ferus ingruit aer,
Mutavitque vices alternis passibus annus.
Tum tibi cura luis fomenta exquirere, & artus
Languentes, sensusque aegros, moribundaq; mẽbra
Arte Machaonia, & sanare salubribus herbis,
Ac famam procul egregiis extendere factis:
Usque adeo crevit medicis solertia rebus;
Et tibi profuerunt dona elargita Deorum.
Magna quidẽ, magna haec fuerit licet, & tibi magnus
Hinc sit honos auctus, nomenque Orientis in omnes
Fama tuum late volitans evexerit oras;
Carminibus non propterea laudabere nostris,

Nec tibi concessos Superum dicemus honores.
Quin ego te magnum, & vectum super aethera dicã,
Quod te humilẽ, exiguũq; animo, quodq; ima secutũ
Harum nullus honor tetigit nec gloria rerum;
Neu mentem flexere tuam, quae plurima vulgo
Mirantur spectantque alii tecta alta domorum
Velata auleis mira testudine pictis;
Et nemora, & quae centenis vertantur aratris
Praedia fertilibus sulcis, atque ubere laeta,
Tercentum nivei carpant ubi gramina tauri,
Et totidem pascantur equi, foetaeque juvencae.
Te nec opes Syriae, aut blandi tenuere recessus
Formosae Daphnes, & prata recentia rivis.
Quippe olim caeli audieras e sede profectum
Advenisse ducem fama & praestantibus ausis
Egregium, Solymos inter lateque fluentem
Jordanem, qui mortales contemnere honores,
Et vanas contemnere opes praeceperat orbis,
Quique homines fastu, & misera ambitione carere
Jusserat, & procul humanas expellere curas:
Quando his nequicquam speratur posse moveri
Rex Superum aut flecti favor omnipotentis Olympi.
Verum si qua piae menti stat cura salutis
Aeternae, vitamque ultra producere secla
Aetherios tractus super & penetralia caeli.
Ad se conjungeret solum praedixerat, & se
Esse Deo genitore satum cognosceret, unde
Copia difflueret rerum, & via prima salutis
Jam promissa foret miseris mortalibus ante
Quamque essent astrorum ignes, & lucidus aethra.
Haec & plura illum memorantem, & fida canentem
Aetherei praecepta patris, multisque ferentem
Auxilium, medicasq; manus, perque oppida prorsus
Jam

Jam deploratos revocantem ad luminis auras;
Pro meritis, & concesso pro munere vitae
Heu, letho Solymos ejectum ex urbe dedisse,
Ora prius, lacerumque caput, pectusque decorum,
Sanguinis & toto volventem corpore rivos.
Illum omnes Libani cedros, & murmure moesto
Hermonias etiam cautes flevisse peremptum,
Antraque flebilibus resonasse impulsa querelis.
Quin ipsum undantem lacrimarum vortice aquarū
Jordanem fluxisse retro, & latuisse sub antris
Squallentem, & turpi rorantem uligine barbam.
Vix ea Phoenicum volitans vaga fama per urbes
Sparserat & veris hominum rumoribus aures
Implerat, subito fractis quum sedibus Orci
Magnanimum Heroem fatis melioribus artus
Et reparasse iterum, & rediisse ad lumina vitae
Sponte sua referunt, tranantemque aetheris ignes
Alta serenati petiisse cacumina caeli,
Et patris aurata victorem in sede receptum.
Talibus intentas quamvis auresque animumque
Praebueras miro jamdudum incensus amore;
Non aures animumque exples, nam saepe requiris
Singula qui referat, quique horum exordia pandat,
Et rerum norit caussas aperire latentes.
Forte docens urbes Syriae foelicis obibat
Tum juvenis prisci dictus de nomine Sauli
Regis Idumei, clarum genus unde trahebat;
Non illo quisquam melior, seu pectora fando,
Et sensus mulcere hominum, seu jura parentum
Priscorum, ritusque & divum sacra docere.
Hunc quondam patris aetherei certissima proles
Voce vocans, subitoque ardenti in nube refulgens
Corripuit, mediaque via diversa sequentem

Exitiumque piis meditantem, & vincla ferentem
Sistit, & insuetas vibranti lumine flammas
Obductum sibi delegit, populisque docendis
Praefecit, jussitque externas visere gentes,
Et nomen vulgare suum, suaque inclita facta;
Unde iter inventum caeli mortalibus, unde
Monstra Erebi devicta gemunt in nocte profunda.
Protinus orantis, Divumque arcana docentis,
Et populum, patresque palam ad meliora vocantis
Magna viri virtus, divini & signa decoris,
Adspectusque Deo similis mentē omnem, animumq;
Attraxere tuum, & caelesti fervidus igni
Olli te adjungis comitem, alloquiisque Deorum;
Ac vario sermone diem, & trahis ocia longa,
Multa super nato rogitans, super & patre multa:
Quos illo referente ambos alta atria caeli
Foedere concordi, & paribus compescere habenis
Agnoscis quaecunque ingens complectitur orbis,
Imperioque, aevoque ambo, summique paresque,
Aeterno nec enim patre posteriorque minorve
Filius, at quoniam summo junguntur, amore
Unanimesque tenet conspirans mutuus ardor,
Inde etiam Deus, ille Deus, qui cuncta potenti
Et movet afflatu, & consorti numine caelum,
Terrarumque sinus torquet, pelagique profundas
Praecipueque hominum subter praecordia sese
Altius infundens Divum caelestia dona
Impertitque aperitque docens, firmatque piorum
Implens divina penitus dulcedine mentis.
Hinc canit illius duris cava tempora saxis
Temporaque & frontem, & manantia pectora tabo;
Hinc etiam obstrictus vinclis, & compede dura
Gaudet ovans animis, nec tecta inamabilis antri
Foe-

Foeda situ, sine luce, ima tellure reposta
Horrescit desertus inops: non saeva superbi
Verbera formidat minitantiaque ora Tyranni.
Ille autem luctantem animam per tela, per ignes
Exhalatque alacris, properatque in funera laetus:
Certi, omnes lapidumque ictus & vincla necemque,
Et quaecunque ipso tulerint in funere acerba,
Caelicolum regis, natique ea cedere honori.
Haec tibi eo dicente, Deum sive illa voluntas
Mutua, seu caeli numen spirabile, sive
Lucis inardescens superae vigor intima adusque
Pectora dilapsus calefacta per ossa cucurrit,
Quo sensusque tui, quo mens tua fervida ubique
Aestuat, & sancti conceptus explicat ignes.
Vere novo veluti cum Sol telluris amatae
In gremium late descenderit igneus almo:
Illa calore tumens, & foeta tepentibus auris
Purpureos laxatque sinus, & in aethera apertum
Edit opes, lateque suos diffundit honores.
Jamque Deo afflatus propiore licentius audes
Effarique palam, & posita formidine Christum
Patre Deo genitum testari, ipsumque supremo
Demissum caelo populorum, orbisque saluti.
Non tauri, non qui caesae de more bidentes
Ad delubra Deum fibras, & consulat exta;
Et nece balantum sceleratos expiet ausus;
Sed propria qui caede, suo qui sanguine culpas
Diluat, & veterum quicquid de sorde parentum
Restat adhuc, pius abstergat, solusque merendo
Flectere qui possit genitorem, & limina caeli
Foedere composito referet viventibus aegris.
Atque his pro meritis jam tum cum pontus, & ipsa
Nil foret omniparens tellus, nihil igneus aether

Ipſum perpetuo edicto caviſſe parentem,
Ne cui fas eſſet quondam ſuccedere caelo
Thrax, Italuſve fuat, latis ſeu finibus ortus
Grajugenum, ſeu palmifera nutritus Idume;
Ni ſeſe addiderit nato, regemque profeſſus
Haud dubitarit eo, ſolido ceu marmore jacta
Fundamenta, ſuae ſupereſſe hominumque ſalutis:
Vindice quo tandem gravibus defuncta periclis
Saecula ſpectarunt caeli convexa ſereni.
Atque ea nec tantum patriae in confinibus audes
Spargere, & algentum populorum accendere corda;
Verum alias te raptat amor procul orbis in oras,
Dura jubens vera pro relligione ſubire
Magnanimo lectum gentis parere magiſtro.
Hunc omnes pelagique minas, terraeque pericla
Tendentem contra, magnique ingentia patris
Juſſa faceſſentem circumſpicis, huic comes haeres
Multa timens, ubi certa inſtant diſcrimina rerum.
Ut natus genitorem alta in convalle Erymanthi
Cum videt in duro congreſſu, aut forte leonis
Aut ſpumantis apri; pavet inſcius, aſpera cogit
Et pietas ſperare & amor; ſed ſumma malorum
Ipſa timere vetat virtus ſpectata parentis.
At non me quiſquam arguerit, ceu ficta canentem,
Velle meis dubias laudes intexere chartis.
Teſtis adeſt late innumeras diſcreta per oras
Argivum tellus ſceptris aſſueta gerendis,
Ut terra pelagoque, & littoribus deſertis
Errantes, & magna Deum vos dona ferentes
Expulit infelix, caeſoſque in vincla petivit:
Ut magno preſſos concurſu livida membra
Nudatos dira lapidum ſub grandine ſolas
Semineces inter ſilvas, atque arva reliquit?

Testis muneribus Solyme accumulata Deorum,
Lecta olim magni sedes habitanda parentis
Progenie, tantum nunc agnoscenda ruinis.
Ah misera, & caede aeternum damnata nepotum,
Vobis illa dolos fluere, & connectere fraudes
Ausa etiam fuit, & raptos altaria circum
Vos letho dare perdendos hostilibus armis.
Tu quoque testis ades, Melite, circundata vasto
Jonio, tu jactatos spumantibus undis
Trans freta Carpathii, & scopulosa Ceraunia classe
Vi maris illis a trabibus per caerula ponti
Excipis adnantes madidaque in veste fluentes,
Atque imo salsis revomentes pectore fluctus.
Caetera quis nescit? quis enim non novit ad oras
Ausoniae, flavique advectos Tibridis arces
Omnia vos duro sub Rege infanda tulisse,
Conjectumque in vincla ducem, virgisque petitum
Immeritum, avulsumque caput cervice decora,
Dum Romae septena canit per culmina Christum,
Et vocat intrepidus sacra ad meliora Quirites?
Hinc te digressum cursu, pelagoque remenso
Isthmonei accipiunt portus, & littora nota
Argolicum: hic fessus longis erroribus ipsa
Jamque aetate gravis, confecto munere vitae
Alta superveheris felix & nubila & astra;
Et tibi certa datur sedes plaga lucida caeli.
Salve ingens Superis decus addite: nos tua laeti
Facta recensentes, laudesque agnoscimus, ampla
Dona patris summi, illiusque opera alta fatemur,
Virtutis quodcunque tuae, quodcunque pudici
Pectoris illius tua praestans gloria munus.
In te illum colimus grati & veneramur ovantes.
Te ne sacer circum spirantibus halitus auris

Corripuit, placidusque pio inflammavit amore?
Tune Dei sobolemque canis, Regemque nigrantis
Extinctorem Orci, & sublimia facta per urbes
Thessaliae, coetusque pios Orientis & oras
Describis primus nostrae argumenta salutis,
Nuntiaque aeternis mandas felicia cartis?
Ut Rex ille neci sese subjecerit ultro
Pro mortali hominum scelere, & pro numine laeso:
Et patris indomitas felix extinxerit iras
Hostia, & attonito pacem exoraverit orbi.
Hinc tibi praecipuos referentem laudis honores,
Formosi faciem Tauri, cui lucida fronti
Cornua, & auratae fulgent per pectora setae,
Olim non frustra grati apposuere nepotes:
Primus item proceres bissenos vertice summo
Correptos face flammifera, multaque repletos
Luce refers pia corda; Ducemque in nubibus altis
Aera per rutilum manifesto in lumine visum
Linquere mortales sociis mirantibus auras.
Exin res etiam memoras, sanctique senatus
Per populos data jura, novasque per oppida leges
Impositas, passimque aras erectaque templa:
Et gentes magni dictas de nomine Christi.
Fortunate operum tua scripta Propontidos undae
Incola jam norit, picti novere Britanni,
Et Tanain, Istrique bibunt qui rauca fluenta:
Et quos occiduo circumsonat aequore Nereus.
Te leget omne solum te saecla cuncta, tuisque
Laudibus assurgent; tua per vestigia gressus
Tuta ferent, scriptisque tuis tu praevius ibis
Omnibus, & lucem praetendes: omine fausto
Unde tibi nomen Lucae imposuere parentes.

EX VETUSTIS LAPIDIBUS

GERUNTIO ET CONSTANTIO

PATER INFELIX

VOs equidem nati caelestia regna videtis:
 Quos rapuit parvos praecipitata dies.
Sed mihi quae requies onerosa in luce moranti?
 Quoi soli superest, & sine fine, dolor.
Quam male de vobis fallacia gaudia vidi,
 Et decepturus me jugulavit amor.
Reddebat teneris in vultibus, ipsaque per vos
 Tempora credebam lapsa rediisse mihi.
Sentio quid faciat spes irrita. pessima sors est
 Supplicii afflicto: quem sua fata premunt.

HUNC tibi perpetuo titulum gratissima conjux
 Corporis extincti dedicat ipsa Fides.
Vixisti mecum juvenis, carosque per annos:
 Quos vita exegi dulciter ipse mea.
Opto, si qua fides remanet telluris amicae,
 Sit tibi perpetuo terra levis tumulo.

FUNERE non aequo puer immaturus obivi,
 Marmoreisque meis hic jaceo tumulis.
Non potuit parvus puerilem implere juventam,
 Nec vestire meam flore novo faciem,
Non senior capiti niveos mutare capillos:
 At fato victus sorte puer perii.
Heu crudele nefas: quae me generaverat hora,
 Haec eadem vitae terminus hora fuit.

NON

NON ego, quod perii, doleo: sed parvulus infans
Quod cum plus saperem, spem merui dubiam.
Si vita incolumis potuisset vincere fata,
Crevisset generis gloria magna mei.
Fortuna invisa est spes & frustrata jacentem.
Mors cuncta eripuit, dira quies hominum.

LUDERET in viridi dum cespite Lydius infans,
Propter aquam (ah pietas) ictus ab angue cadit.
Infelix mater natum complexa jacentem
Occidit, angue puer, victa dolore parens.

ROMAE.

LIBERTA & conju Petronia cara patrono
Thallusa hoc tumulo condita luce caret.
Quae bis vicenos complerat lucibus annos,
Erepta est subito conjugis e gremio.
Hanc sic assidue deflet Petronius, ut jam
Deficiant oculos lumino cara suos.
Desine per terras infernas tendere ad arces:
Fata animam dederant, fata eademque negant.

IBIDEM.

APOLLONIA quae vocitabatur
Lapide hoc inclusa quiesco,
Ipso mihi flore juventae
Ruperunt fila sorores:
Annos post decem & octo
Vetuerunt visere lumen.
Unum sortita maritum

Ser-

Servavi casta pudorem.
Mater misera hoc monumentum
Extruxit Olympias amens.
Haec sunt: bene vive viator.

ROMAE.

QUAM bene curvati directa est semita pontis,
Atque interruptum continuatur iter!
Calcamus rapidas subjecti gurgitis undas:
Et libet iratae cernere murmur aquae.
Ite igitur faciles per gaudia vestra Quirites,
Et Narsin resonans plausus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

IBIDEM.

DISPAR damna lege Parcarum & stamina dispar:
Haec ridenda mihi est, hic lacrumandus erit,
Haec namque emeritos bis quadraginta per annos
Vixit: at hic tertio Consule natus obit.
Cur modo tam praeceps, iterum tam fera fuisti
Funeris amborum dic rea Persephone?
Vix lucem vidisse, satis qui vivere posset?
Vivere quae nollet, vix potuisse mori?

IBIDEM.

TU pater & mater lacrimis retinete dolorem:
Nam fato raptam non potes eripere.

IBIDEM.

JAM datus est finis vitae, jam pausa malorum
Vobis, quas habet hoc gnatam matremq; sepulcrum
Litore Phocaico pelagi vi exanimatas
Illic, unde Tagus & nobile flumen Hiberus
Vorsum ortus vorsum occasus fluit alter & alter,
Stagna sub Oceani Tagus, & Tyrrhenica Hiberus.
Sic etenim duxere olim primordia Parcae,
Et nevere super vobis vitalia fila:
Cum primum Lucina daret lucemque animamque,
Ut vitae diversa dies foret, unaque leti.
Nobis porro alia est trino de nomine fati
Dicta dies leti, quam propagare suopte
Visum ollis tacito arbitrio cum lege perenni,
Sisti quae cunctos jubet ad vadimonia mortis.

IBIDEM.

SI pensare animas sinerent crudelia fata,
Et posset redimi morte aliena salus,
Quantulacumque meae debentur tempora vitae,
Pensassem pro te cara Homonoea libens.
At nunc, quod possum, fugiam lucemque deosque,
Ut te matura per Styga morte sequar.
PARCE tuam conjux fletu quassare juventam,
Fataque maerendo sollicitare mea.
Nil prosunt lacrimae, nec possunt fata moveri:
Viximus: hic omnes exitus unus habet.
Parce, ita non unquam similem experiare dolorem;
Et faveant votis numina cuncta tuis.
Quodque mihi eripuit mors immatura juventae,
Hoc

Hoc tibi victuro proroget ulterius.

Tu qui, secura procedis mente, parumper
Siste gradum quaeso, verbaque pauca lege.
Illa ego quae claris fueram praelata puellis,
Hoc Homonoea brevi condita sum tumulo,
Cui formam Paphie, Charites tribuere decorem,
Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis denos aetas mea viderat annos,
Injecere manus invida fata mihi,
Nec pro me queror hoc: morte est mihi tristior ipsa
Maeror Atimeti conjugis ille mei.
Sit tibi terra levis mulier dignissima vita,
Quaeque tuis olim perfruerere bonis.

IN OPIDO FABRICA.

Hic Aquilae cineres miserabilis urna sepultos
Contegit, & fatis exproperata nimis.
Occidit infelix cepto modo flore juventae,
Quem finiit annus septimus & decimus.
Formonsus, frugi, doctus, pius a patre maesto
Accepit tumulos, quos dare debuerat.

IBIDEM.

Quod dulcis nati, quod cara pignora praestant
Continet hic tumulus, membra qui parva retentat
Dolorem sine fine dedit: felicitas isto
Clauditur infelix falso cognomine dicta.
Nam cui prima dies in lucem protulit annos
Quattuor, & male cum quintum sumeret ortum,
Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.
Haec mater & genitor conscribunt carmina busto.

Quo legenti simul redeat sub corde figura;
Et siccato saepe madescant lumina fletu:
Sic medicatur amor, nec curant carmina manes.

IN HISPANIA.

TEMPLUM in rupe Tagi superis & Caesare plenum,
Ars ubi materia vincitur ipsa sua,
Quis quali dederit voto fortasse requiret
Cura viatorum: quos nova fama juvat.
Pontem perpetui mansurum in saecula mundi
Fecit divina nobilis arte Lacer.
Idem Romuleis templum cum Caesare Divis
Constituit. Felix utraque caussa sacri.

FINIS.

